

---

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.


Google™ books

<https://books.google.com>



760  
N987  
a


UC-NRLF



⌘B 60 533

YC 5035C

GIFT OF  
Miss Thursby



Education dept.

760  
N987  
a

LANGE LIBRARY OF EDUCATION  
UNIVERSITY OF CALIFORNIA  
BERKELEY, CALIFORNIA


UNIV. OF  
CALIFORNIA

AD ALPES  
A STORY OF ROMAN LIFE

BY  
HERBERT C. NUTTING

UNIVERSITY OF CALIFORNIA PRESS  
BERKELEY, CALIFORNIA

1923



UNIVERSITY OF CALIFORNIA  
SYLLABUS SERIES

11. Mathematics. Syllabus of Mathematics for Engineering Students. 1909. Revised, 1910. Price, 5 cents.
14. Analysis of the Sources of Accented Vowels in Chaucer's Canterbury Tales, B4011-4060. 1909. Price, 25 cents.
20. Synopsis of Lectures in Palaeontology 1. 1913. Reprinted, August, 1922. Price, 50 cents.
21. Specimen Themes. English 1. 1911. Price, \$1.00.
30. Outline of Lectures in General Science 2. 1912. Price, 45 cents.
39. Contemporary Political Questions. 1912. Price, 50 cents.
45. Economics 113B. Labor Organizations in Great Britain and the United States. 1914. Price, 60 cents.
69. Physics 1A. Lectures on Mechanics, Properties of Matter and Heat. August, 1916. Price, 30 cents.
75. Physics 1B. January, 1917. Price, 50 cents.
78. Political Science 112. Legislative Failure and Reform. 1917. Price, 10 cents.
79. Elementary Mathematics for Prospective Teachers. April, 1917. Price, 10 cents.
81. Problems in Commercial Law. Jurisprudence 118A. November, 1922. Price, 30 cents.
88. Elements of Law Latin. Latin L. 1922. Price, \$1.00.
90. Guide to the Study of Medieval History. November, 1917. Price, bound in cloth, \$2.00
97. Food Preparation and Tests. Home Economics. July, 1919. Price, 75 cents.
100. Graphic Art 1A. General History of Art. August, 1919. Price, \$1.60.
101. Selected Readings in Anthropology. August, 1919. Price, 75 cents.
104. English 125CD. Types of Narrative and Prose Fiction. Price, 25 cents.
106. Economics 135. Money and Banking. Price, 25 cents.
109. Notes on the Military Policy of the United States since 1862. October, 1919. Price, 10 cents.
115. Economics 10. Economic and Commercial History, with special reference to England. August, 1920. Price, 15 cents.
118. Source Book in Anthropology. August, 1920. Price, bound in cloth, \$2.50.

*(Continued on third page of cover)*

UNIV. OF CALIF.

# AD ALPES

A Story of Roman Life

BY

HERBERT C. NUTTING



UNIVERSITY OF CALIFORNIA PRESS  
BERKELEY, CALIFORNIA

1923

TO THE  
LIBRARY

*Gift of Miss Tracy by  
the Blue Dept.*

Copyright 1923  
by  
Herbert C. Nutting

UNIVERSITY OF CALIFORNIA SYLLABUS SERIES  
No. 150. April, 1923

## FOREWORD

It is much to be regretted that no Roman of the Ciceronian period thought it worth his while to write for young people a story of Roman life, into which were interwoven the interesting and curious facts of their country's history. In the literature of the language, of course, materials for the making of such a book abound; but they are scattered through a wide range of authors, both poets and prose writers, with language of varying style and difficulty.

Inasmuch as story books are an outstanding feature of all the principal modern literatures, it is all the more to be desired that Latin, too, be represented in this field. And since no Roman has rendered this service, it remains to supply the lack as best we may.

In attempting this task, the writer has supplied the framework of a story by describing the supposed adventures of a family party traveling by sea from Ephesus to Brundisium, thence northward by the Appian Way to Rome, then onward to the Alps.

This itinerary carries the party over a great stretch of historic ground; and the elders narrate to the children interesting facts and incidents suggested by the places visited. Incidentally, the framework of the story introduces in a natural way considerable material bearing upon Roman life and manners.

The head of the party is represented as a certain Publius Cornelius Strabo, a Roman official for some time stationed in Asia Minor, but on the death of Hadrian (138 A.D.) recalled to Rome, not knowing to what field of activity he will be assigned under the new emperor. The other members of the party who require special mention are:

Drusilla, wife of Cornelius.

Publius, eldest son, age 16.

Sextus, younger son, age 12.

Cornelia, daughter, age 10.

Lucius, infant son.

Onesimus, a slave of mature years, who acts as steward and business manager.

Stasimus, a young and pampered slave, who has but recently joined the family in Asia Minor.

Anna, a maid from Palestine, special attendant upon Lucius.

In its present form this text may be used for sight and supplementary reading. It is hoped at a later time to bring out an edition provided with vocabulary, notes, maps, and the like, so that the book may be used as a regular text, especially in the third year.



The material now used in the third year, while excellent in itself, still leaves much to be desired in the matter of suitability. Not only is there too much sameness in the subject matter; the units are too large, and involved and difficult sentences abound. Under these circumstances it is hard for the student to acquire any feeling of power over the language.

The present text is simple and uniform in style, and of a reasonable degree of difficulty. The units are so short that something definite can be accomplished at a sitting; and the desire "to go on with the story" will help, it is hoped, to inspire the student with a willingness to read more and more, which, for the majority of pupils, is the most practical way of gaining a real mastery of the language.

In making such a text as this, it is inevitable that there be some inequalities in the matter of orthography; and it is quite likely that the vocabulary is capable of slight compression. Such details cannot well be adjusted until vocabulary cards are made for the later edition. In regard to any other betterments of the text, the author will welcome suggestions from those who have used the book.

H. C. N.

BERKELEY, CALIFORNIA.

## CONTENTS

<i>Caput</i>	<i>Page</i>	<i>Caput</i>	<i>Page</i>
I. AT SEA.....	1	XI. AT A VILLA NEAR BRUNDISIUM	34
Pirates in the Aegean.....	1	Britain and the far North.....	34
Experience of Julius Caesar.....	2	Androcles and the lion.....	35
II. AT SEA.....	3	XII. AT A VILLA NEAR BRUN-	
Stasimus as an interpreter.....	3	DISIUM.....	37
Hannibal against the Rhodians.....	4	Device to elicit a story.....	37
Hannibal against Eumenes.....	4	Caesar at Corfinium and Brun-	
		disidium.....	38
III. AT SEA.....	6	XIII. BRUNDISIUM TO TARENTUM	41
Crete.....	6	Story of the farmer and the	
Story of Ariadne.....	6	birds.....	42
Hannibal's visit to the island..	8	Proserpina.....	43
IV. AT SEA.....	10	XIV. AT TARENTUM.....	45
Isthmus of Corinth.....	10	Death of Archimedes.....	45
The boastful host.....	10	Fall of an amphitheater at	
Portents in the flight of birds...	12	Fidenae.....	46
V. AT SEA.....	14	Missiles thrown from proscen-	
The song of Anna.....	14	ium.....	46
Samson.....	15	An actor who fell asleep.....	47
David and Goliath.....	16	XV. AT TARENTUM.....	48
Water from the well at Bethle-		Stasimus and the crabs.....	48
hem.....	16	Nero as an artist.....	48
VI. AT SEA.....	18	Caligula; his name and vagaries	49
Storm and shipwreck.....	18	XVI. TARENTUM TO VENUSIA.....	52
Lighthouse at Brundisium.....	20	Pranks of Nero.....	52
VII. AT ANCHOR OFF BRUNDISIUM	21	Tossing in a blanket.....	53
Daniel and the lions.....	22	Cruelty of Domitian.....	53
VIII. AT ANCHOR OFF BRUNDISIUM	24	Babies in the wood.....	54
Stasimus and the country slave	24	XVII. AT VENUSIA.....	55
Jonah.....	26	Inkeeper and doctor.....	55
Lullaby of Drusilla.....	27	Stasimus and the peddler.....	56
IX. LANDING AT BRUNDISIUM.....	28	XVIII. AT A HAMLET.....	59
Crossing the Red Sea.....	29	Ghost stories.....	59
Auction.....	30	City mouse and country mouse	61
X. AT A VILLA NEAR BRUNDISIUM	31	XIX. TO BENEVENTUM.....	62
Stories of bald-headed men.....	31	Story of Damocles.....	62
Source of the name Torquatus	33	Philoxenus as a literary critic...	63
		Diogenes and Aristippus.....	63
		Battle of Cannae.....	64

<i>Caput</i>	<i>Page</i>
<b>XX. AT BENEVENTUM</b> .....	66
Plan to poison Pyrrhus.....	66
Camillus and the Faliscans.....	67
Aged woman's prayer for Dionysius.....	67
First introduction of elephants into Italy.....	68
Elephants in the <i>Bellum Africanum</i> .....	68
<b>XXI. TO CAUDIVM</b> .....	70
Elephants at Thapsus.....	70
Duel with an elephant.....	70
Elephants cross Rhone.....	71
Elephants against serpents.....	71
Battle of the Caudine Forks.....	72
<b>XXII. TO CAPUA</b> .....	74
Eruption of Mount Vesuvius.....	74
<b>XXIII. AT CAPUA</b> .....	77
Romans and allies against Hannibal.....	77
Punishment of the Capuans.....	77
Loyalty of women during Carthaginian occupation of the city.....	78
Spartacus and the slave war.....	79
Caligula and Aetna.....	80
<b>XXIV. TO SINUessa</b> .....	81
The Ager Falernus.....	81
Hannibal against Fabius.....	81
Death of Hannibal.....	82
Milestones.....	82
Atalanta's race.....	83
<b>XXV. AT SINUessa</b> .....	85
Stasimus and the crabbed old man.....	85
Boast of Antiochus.....	87
Story of the faggot-gatherer.....	87
<b>XXVI. TO FUNDI</b> .....	89
Cicero on gladiatorial combats.....	89
Contest between prisoners of Hannibal.....	89
Ropewalking elephants.....	90
Daedalus and Icarus.....	90
Gladiators in a sea fight.....	91
Midas.....	91
<b>XXVII. TO APPI FORUM</b> .....	93
Paul and the Christians.....	93
Regulus.....	95
Canal along the Appian Way.....	96


<i>Caput</i>	<i>Page</i>
<b>XXVIII. TO ARICIA</b> .....	97
Arrival of the <i>Magna Mater</i> at Rome.....	97
Miracles wrought by <i>Vespasian</i> .....	98
Carthaginian boundary dispute.....	93
Circumnavigation of Britain.....	90
<b>XXIX. TO ROME</b> .....	101
Albanus Mons.....	101
Priests of <i>Diana</i> .....	101
Mausoleum.....	102
Death of <i>Vitellius</i> .....	103
<b>XXX. IN THE COUNTRY</b> .....	105
<i>Vespasian</i> in the East.....	105
The Dead Sea.....	106
Forms of worship in Palestine.....	106
Floating islands.....	107
<i>Stasimus</i> and the one-eyed soldier.....	107
<b>XXXI. In the country</b> .....	109
Damon and <i>Phintias</i> .....	110
Stories of the Flood.....	111
<b>XXXII. RETURN TO ROME</b> .....	113
Letter from <i>Cornelius</i> .....	113
Sack and rebuilding of Rome.....	114
Fire in <i>Nero's</i> time.....	115
<b>XXXIII. TO FALERII</b> .....	117
The <i>Mulvian Bridge</i> .....	117
Cicero's verse.....	117
March of the <i>Fabii</i> .....	118
<i>Juno</i> removed from <i>Veii</i> .....	119
Sacrifice of <i>Fabius</i> during siege of the <i>Capitolium</i> .....	119
<b>XXXIV. AT FALERII</b> .....	121
Milo the athlete.....	121
<i>Polydamas</i> killed in a cave.....	122
<i>Sejanus</i> saves life of <i>Tiberius</i> .....	122
<i>Gyges</i> and the ring.....	123
<b>XXXV. TO NARNIA</b> .....	125
An alarming omen.....	125
Stories of eagles.....	125
Adventure with brigands.....	126
<b>XXXVI. TO NUCERIA</b> .....	129
Battle of Lake <i>Trasimenus</i> .....	130
<b>XXXVII. AT NUCERIA</b> .....	133
A night alarm.....	133
<i>Stasimus</i> and the irate farmer.....	134

<i>Caput</i>	<i>Page</i>	<i>Caput</i>	<i>Page</i>
XXXVIII. TO A CERTAIN VILLA	137	XLV. TO PLACENTIA	165
Battle of Sentinum	137	Sack of Cremona	166
Heroism of M. Curtius	139	Fall of Jerico	167
The water supply of Alexandria	139	Rahab and the spies	167
XXXIX. TO FANUM FORTUNAE	141	XLVI. AT PLACENTIA	169
Battle at the Metaurus	141	Story of Achan	169
Moses in the bullrushes	143	Stasimus and the sleepy slave	171
XL. TO ARIMINUM	145	Battles at the Ticinus and the Trebia	172
Crossing the Rubicon	145	XLVII. TO MEDIOLANUM	174
Battle of the wind and sun	147	Pyramus and Thisbe	175
XLI. TO FAVENTIA	149	Sextus and the farmer's apples	177
Orpheus and Eurydice	149	XLVIII. AT MEDIOLANUM	178
Charon and the Acheron	150	The blind soldier	178
Dido's treasure	151	Invasions of Britain	179
Red beards of the Domitii	152	Stray horse causes alarm	180
XLII. TO BONONIA	153	Galba's decision regarding the ass	180
Omen of the falling tiles	153	Solomon's judgment	181
Omens given a favorable turn	154	XLIX. TO COMUM	182
Stasimus and the muleteer	154	Stasimus and the one-armed stranger	182
XLIII. TO MUTINA	157	The daughters of Danaus	182
Story of Absalom	157	Pliny as a hunter	184
The Old Soldier's Raven	159	Pliny contributes to the endowment of a school	185
The heroic centurion	159	L. PLACENTIA TO EPOREDIA	186
An officer who believed in flogging	160	The inexperienced traveler	186
XLIV. TO PARMA	161	Prophetic dreams	187
The farmer's life	161	Ad Alpes	189
Avoidance of military service	162	Brief Index	190
Cicero and Trebatius	163	Poems Quoted	193
A feast of plums	164		


THE  
LIBRARY OF  
THE UNIVERSITY OF  
CHICAGO

ITALIA SUPERIOR

A L P E S



ITALIA INFERIOR



TO THE  
AMERICAN

## AD ALPES

### CAPUT I

Navis iam per undas celeriter progrediebatur, omnesque e puppi litus leniter e conspectu recedens conspiciebant. Ac postremo Drusilla: "Quinque iam sunt anni," inquit, "cum in hanc terram barbaram iter fecimus. Quam gaudeo nobis denique licere domum reverti, ut tandem patriam et parentes meos visamus!"

Tum Cornelius: "Recte dicis," inquit. "Sed dum hic morabamur, multa miranda et iucunda vidimus, nec me paenitet, his in locis longinquis quinquennium transegisse. Sed nunc domi esse maxime cupio, ut Publius noster et Sextus omnia discant, quae civibus Romanis nota esse debent. Et ego ipse forum templaque deorum libentissime iterum aspiciam."

"Urbem vix reminisci possum," inquit Cornelia; "tam eram parvula, cum huc profecti sumus." Tum subito conversa ad Lucium, quem Anna in gremio sago contactum tenebat: "Et Lucius noster eam omnino numquam aspexit." Quae cum dixisset, fratrem parvum arte complexa est.

"Suadeo, uxor," inquit Cornelius, "ut cum ceteris tu nunc in cameram redeas; nam ventus increbrecsit. Sed ego et filii paulo diutius in puppi ambulabimus."

Cum Drusilla in cameram cum liberis servisque se recepisset, tum Publius, dum ultro citroque ambulat, patri: "Videor mihi recordari," inquit, "quondam periculosum fuisse in mari Aegaeo navigare propter piratas, qui ubique castella haberent, unde in naves mercatorum impetus facerent repentinos."

"Per multos annos res ita se habebat," inquit Cornelius; "et mercatores hoc modo saepe perierunt, navesque eorum aut incensae sunt aut in mari submersae. Quin etiam piratae isti postremo impunitate tam audaces facti sunt, ut naves quoque adorirentur, quibus vehebantur magistratus nostri."

"Papae!" inquit Sextus. "Nonne nomen magnum populi Romani veriti sunt? Cur non naves longae istos scelestos statim e mari fugaverunt?"



“Saepe id temptatum est,” inquit pater; “sed, ut est in vetere proverbio, ‘incipere multo est quam impetrare facilius.’ Quo modo factum est ut, cum naves alios consecrarentur, alii procul praedas agerent; nec finis fuit, priusquam custodia totius orae maritimae Gnaeo Pompeio Magno commissa est. Is tam acriter piratas lacessivit, ut omnes sexaginta diebus aut fugerent aut legatos pacis petendae causa ad eum mittere cogerentur.”

Tum Publius: “Nonne Caesar dictator in potestatem istorum piratarum olim ipse pervenit?”

“Recte quaeris,” inquit Cornelius. “Nam ille adhuc iuvenis insulam Rhodum adire volebat, ut Apollonium Molonem clarissimum dicendi magistrum ibi audiret. Huc cum hibernis mensibus transiret, a piratis captus, apud eos mansit dies fere quadraginta.

“Interim comites Romam dimissi sunt pecuniam quaesitum, qua redimeretur. Ipse, inter hostes relictus, cum piratis comiter iocatus saepe adfirmavit se reversum de eis supplicium summum sumpturum.

“Illi scilicet tum adriserunt. Sed Caesar, cum pecunia demum adlata in litore deserto expositus esset, Miletum statim perrexit; ubi classe deducta piratas abeuntes secutus est, eosque omnes supplicio eo adfecit, quod antea quasi per iocum minatus erat.”

“Quam vellem,” inquit Sextus, “piratas hodie quoque in hoc mari navigarent! Si nostram navem adoriantur, ego eis capita prius abscidam, quam in puppim escendere possint.”

“Heia!” inquit Publius, cum se horrere simularet; “quam bene piratis accidit Sextum nostrum illis temporibus maria non navigasse!”

Tum Sextus ira incensus: “Noli te iactare, Publi; nam etsi maior natu es, ego tamen sum fortior.”

“Agite, filii mei,” inquit Cornelius. “Inter vos desinite iurgare. Tales dissensiones indecorae sunt; et existimo iam Onesimum curasse ut esset quod ederemus. Eamus intro.” Quae cum dixisset, ad cameram pedem convertit; ac Publius et Sextus, qui male esuriebant, libenter subsecuti sunt.

## CAPUT II

Illa nave vehebantur homines plurimi; sed dies complures tam asperum erat mare, ut plerique graviter nausea afficerentur, paucique in puppi ambulare possent. Mirus et molestissimus est hic morbus; qui enim eo afficitur, primo timet ne moriatur, tum metuit ne in vita retineatur.

Postremo autem omnibus melius est factum, rarique in puppim prodierunt. In eis erat senex quidam, qui lingua barbara utebatur, nec quisquam plane intellegere poterat quid dicere vellet.

Denique mercator dives, qui nequiquam cum sene loqui conatus erat: "Nonne hic adest quisquam," inquit, "cui lingua huius peregrini nota sit?"

Forte Stasimus haud procul stabat. Qui cum haec audivisset, ut erat vafer, "Mihi," inquit, "omnes linguae notae sunt. Si exposueris quid rogare velis, ego libenter cum sene loquar." Quo dicto, ad senem accessit, et sermo huius modi institutus est:

*Stasimus.* Salve multum, senex.

*Senex.* Avo. Donni.

*Mercator.* Quid dicit, obsecro?

*Stasimus.* Dicit se iubere te salvere, et tibi donum dare velle.

*Mercator.* Benigne facit. Sed quaere, qui sit homo, aut unde veniat.

*Senex.* Me har bocca.

*Stasimus.* Dicit buccam dolere.

*Mercator.* Fortasse nos esse medicos putat. Quaere, sis; nam hospitem sic errare nolo.

*Senex.* Murph ursa mvule.

*Mercator.* Quid nunc dicit?

*Stasimus.* Dicit se ursas vendere velle.

*Mercator.* Forsitan bestias comparet in amphitheatro exhibendas.

*Senex.* Palu mer ged etha.

*Stasimus.* Dicit se palas quoque vendere.

*Mercator.* Ad terram effodiendam, credo. Sed vix intelligere possum cur negotia tam diversa confundat.

*Senex.* Murphonium sucorhim.

*Mercator.* Quid dicit, obsecro?

*Stasimus.* Te iubet sub corbulam repere.

*Mercator.* Papae! Delirat profecto.

Cum hic sermo haberetur, Publius et Sextus prope stabant, vix se continentes quominus in cachinnos erumperent. Sed iam e camera processit Cornelius; et Stasimus celeriter in puppim extremam se recepit. Quo facto, Cornelio mercator: "Estne," inquit, "ille Stasimus servus tuus?"

"Ita," inquit Cornelius; "nec usquam est puer scelestior."

"Haud ita mihi videtur," inquit mercator; "nam modo mihi operam benigne dedit, cum hunc peregrinum quaedam rogare vellem."

"Quo modo, obsecro, ille te adiuvere potuit?" inquit Cornelius. "Multis linguis ego utor; sed ne ego quidem paulo ante intellegere poteram quid hic ignotus dicere vellet, cum me appellaret. Stasimus autem nihil nisi Latine scit."

"Suspicio igitur eum me ludificasse," inquit mercator ridens. "Sed sine dubio omnia per iocum fecit; ac spero de eo supplicium te non sumpturum."

Tum Cornelius: "Dolis eius interdum ira tantopere incendor, ut vix me continere possim quominus eum in crucem statim agam. Cum autem tu tam clementer suadeas, poenas non dabit—donec aliam noxiam commeruerit."

Dum illi ita inter se loquuntur, peregrinus, a spe omni destitutus, caput quassans tristis discessit; atque interim Publius et Sextus ad proram processerant, ubi fluctus magnos admirantes diu stabant.

Tum Sextus: "Hisne in regionibus," inquit, "pugna navalis unquam commissa est?"

"Olim," inquit Publius, "in mari Pamphylio Hannibal cum Rhodiorum classe confligit. Sed multo est mirabilior pugna, qua Eumenem, regem Pergamenum, Poenus idem fugavit."

"De hac numquam audivi," inquit Sextus. "Quid factum est, obsecro?"

Tum Publius: "Modo librum Corneli Nepotis legebam, qui rem gestam ita tradit: Hannibal navium numero superabatur; itaque dolo ei pugnandum erat. Quare suos iussit venenatas serpentes vivas quam plurimas colligere, easque in vasa fictilia conicere. Cum dies pugnae venisset, imperavit ut omnes in Eumenis ipsius concurrerent navem, ceteras autem neglegerent.

"Quod ubi factum est, navis Eumenis fuga salutem petere coacta est, sed ceterae undique classem Hannibalis vehementer premebant. Tum in eas repente vasa fictilia, de quibus supra mentionem feci, coniecta sunt. Quibus in puppes fractis, naves hostium brevi serpentibus oppletae sunt; atque illi, nova re territi, terga verterunt regemque Eumenem intra praesidia, quae in proximo litore collocata erant, celeriter subsecuti sunt."

"Hahahae!" inquit Sextus. "Hannibal certe dux callidus erat. Vix turpe fuit a tanto imperatore vinci."

Tum Publius, post se respiciens: "Puto," inquit, "nos nunc redire posse. Stasimus poenas effugisse videtur, neque usquam hospes in conspectu est."

Itaque a prora cum recessissent, se patri ceterisque reddiderunt, qui iam passim in puppi sedebant.

## CAPUT III

Postero die nautae procul terram aspexerunt, omnesque cupide ad latus navis properaverunt, quo melius eam viderent. Tum Cornelio Sextus: "Quam terram, pater," inquit, "iam aspicimus?"

"Cretam eam esse credo, mi fili," inquit Cornelius. "Insula est magna, ibique multae res mirabiles factae esse dicuntur. Abi, sorori nuntia ut huc veniat. Fortasse ego quaedam reminisci possum, quae vos libenter audiatis."

"Euax!" inquit Sextus. "Abeo!" et celeriter in cameram se recepit, unde brevi cum Cornelia et quibusdam liberis aliis egressus est.

"Quanto plures, tanto melius," inquit Cornelius ridens. "Huc accedite, liberi; in veli umbra sedeamus, dum vobis fabulam narro." Tum, cum omnes ad audiendum compositi et intenti essent, ita loqui incipit:

"Multos abhinc annos Creta Athenas venit Androgeos, Minois filius, ut ibi descenderet in certamina, quae Panathenaica vocantur. Ubique victor erat. Quare Aegeus, rex Atheniensium, invidia commotus, iuveni negotium dedit, ut taurum Marathonium occideret, se hoc modo ratus hospitem ingratum facile sublaturum. Neque haec res eum fefellit; nam iuvenis a monstro ipse dilaniatus est.

"Ubi haec Cretam sunt delata, Minos dolens et ira permotus magnum exercitum in fines Atheniensium duxit, eorumque urbem obsedit; ac paulo post pestis quoque tam dira incidit in eos, ut condiciones pacis petere cogerentur. Quas acerbissimas acceperunt; nam Minos postulavit ut quotannis septem pueri nobiles totidemque puellae Cretam mitterentur, ubi dilaniarentur a monstro quodam, quod ipse domi alebat. Ei monstro erat nomen Minotaurus, quia tauri caput sed corpus humanum habebat."

“Horresco audiens,” inquit Cornelia, cum ad patrem propius accederet; “quam gaudeo talia monstra his temporibus nusquam reperiri!”

“Mihi autem,” inquit Sextus, “maximo dolori est omnia ista iam occisa esse; complura occidere pervelim.”

At Cornelius: “Nonne oblitus es, mi fili, me fabulam narrare?”

“Peccavi, pater,” inquit Sextus. “Veniam da, obsecro. Postea nihil interpellabo.”

Tum Cornelius: “Minotaurus in labyrintho latebat, ubi vorabat adulescentes miseros, qui multiplicibus erroribus impediti numquam exitum invenire poterant, cum semel eo introducti erant.

“Per multos annos Athenienses illud tributum horrendum solverant, cum Theseus, regis Antheniensis filius, postulavit ut sibi liceret esse e numero iuvenum, qui illo anno Cretam mitterentur. Pater scilicet filium tanto periculo obicere noluit. Theseus autem obstinata mente in sententia perseveravit, rexque postremo concedere coactus est.

“Vela navis, qua adulescentes infelices vehebantur, semper sordida erant, quod illi miseri quasi ad funus abibant. Sed iam Aegeus imperavit candida quoque comparari, filioque praecepit ut, si omnia prospere cessissent, domum rediens sordida vela illis candidis mutaret, quo signo procul omnibus notum foret Minotaurum occisum esse.

“Leni vento vectus Theseus Cretam pervenit; ubi Ariadna, Minois filia, amore hospitis statim incensa est. Gladium igitur ei dedit et filum, quo vestigia regeret, cum e labyrintho se expedire conaretur. Quo modo Theseus, monstro occiso, incolumis e loco ferali se recepit. Tum cum Adriadna clam fugit ex urbe, et eadem nave domum profectus est.”

“Spero,” inquit Cornelia, “eos salvos Athenas pervenisse. Sine dubio cives Ariadnae gratiam maximam retulerunt, quod Theseum tam callide adiuverat.”

Tum Cornelius: "Ariadna numquam Athenas vidit. Nam Theseus eam quadam in insula reliquit, cum domum iter faceret."

"Rem quam foedam!" inquit Cornelia. "Spero eum pro perfidia tanta poenas maximas dedisse."

"Ille vero erat satis infelix," inquit pater; "nam oblitus est signum dare, quo patri ostenderet omnia prospere cecidisse. Itaque cum navis iuvenes ovantes in portum veheret, Aegaeus, e scopulis prospiciens, sordida vela procul vidit. Quare ratus filium mortuum esse, e vertice scopulorum se praecipitavit ac corpus in saxa elisum est. Ita accidit ut Theseus tantum ad funus patris curandum domum perveniret."

Postquam haec dicta sunt, omnes aliquamdiu taciti sederunt, cum aspicerent terram, quae usque propius accedere videbatur. Tum Publius e camera prodiit, et ille: "Gaudeo," inquit, "nos Cretam tam plane videre posse. Semper enim volui aspicere hanc terram, quo Hannibal exsul olim devertit."

"Sed mihi nunc abeundum est," inquit Cornelius. "Tu autem, Publi, in libro Corneli Nepotis profecto legisti, quo modo Hannibal incolas istius insulae eluserit. Certo scio hos liberos id audire velle."

Tum Cornelia: "Narra, sis, frater. Nos omnes ad audiendum compositi sumus."

"Fabula haud longa est," inquit Publius. "Postquam Poeni Zamae devicti sunt, aliquamdiu Hannibal in Africa mansit, et multis modis patriam suam sustentavit. Postremo autem Roma legati Carthaginem venerunt. Eos sui exposcendi causa missos ratus, Hannibal navem conscendit atque in Syriam ad regem Antiochum se contulit; cui persuasit ut bellum Romanis inferret.

"Antiocho victo, veritus ne Romanis dederetur, Cretam Poenus profugit. Secum pecuniam grandem portabat; quam ne raperent Cretenses, consilium tale iniit: Amphoras aliquot complevit plumbo, summas autem auro et argento operuit. Has, praesentibus magistratibus, in templo Dianae deposuit, cum

simularet se fortunas suas ibi custodiendas relinquere. Interim quasdam statuas cavas pecunia sua compleverat, easque domi summa neglegentia servabat, quasi nihili essent.

“Cretenses, sic in errorem inducti, templum magna cura custodiebant, ne Hannibal cum sua pecunia clam abiret. Ille autem, occasione oblata, statuas in navem imposuit, et, fortunis ita conservatis, in Pontum incolumis pervenit.”

“Quanto plura de Hannibale audio,” inquit Sextus, “tanto magis eius sollertiam admiror. Minime mirum est eum totiens imperatores nostros superasse. Sed nunc me exercere paulisper iussus sum.” Quae cum dixisset, surrexit, omnesque alii in aliam partem discesserunt.



## CAPUT IV

Circiter meridiem Cornelius, cum quaedam Onesimo dictavisset, in puppi cum filiis ultro citroque ambulabat. Iam propter nebulas insula Creta vix cerni poterat, et Sextus: "Quo modo fit, pater," inquit, "ut tanto circuitu in Italiam iter facere cogamur? Nonne est ulla via brevior, qua ad finem destinatum preveniamus?"

"Aliquanto brevior est via," inquit pater, "si terrestri itinere per Achaiam pergere velis. Et semel et iterum initum est consilium Isthmi perfodiendi, ut ea ex Aegaeo in Ionium mare naves transire possent. Dictator Caesar opus primo destinavit. Deinde Caligula ad loca dimetienda centurionem misit. Postremo Nero re vera initium fecit; quin etiam ipse rastello humum primus effodit et corbulae congestam umeris extulit. Sed adhuc incohatum modo opus est."

Dum Cornelius ita loquitur, in puppim prodierunt et mercator, de quo ante mentionem fecimus, et peregrinus infelix, cuius lingua nemini nota erat. Quos cum aspexisset, mercatori Cornelius: "Illius infelicis me vehementer miseret," inquit.

"Me quoque eius miseret," inquit mercator; "et libenter haec a te audio. Nam bene scio plerosque cives nostros peregrinos paene omnes nihili facere."

Tum Cornelius ridens: "Fabulamne umquam audivisti de peregrinis, qui, cum Romam pervenissent, quaerebant civem, qui pollicitus erat se eos regie hospitio accepturum, si quando in Italiam iter fecissent?"

"Numquam, quod sciam," inquit mercator. "Nonne vis eam narrare?"

"Hic civis," inquit Cornelius, "olim otiosus in foro ambulabat, cum subito occurrerunt duo hospites, quos splendide invitaverat, cum ipse peregrinaretur. Qua re homo primo conturbatus est; nam vero ei erat domus parva et res familiaris tenuis.

“Tum autem, callide trepidationem suam dissimulans: ‘Gaudeo,’ inquit, ‘vos salvos advenisse; sed fecissetis rectius, si statim ad me venissetis.’ ‘Id fecissemus,’ inquit illi, ‘si domum tuam novissemus.’ ‘Hoc quidem perfacile est,’ inquit homo; ‘omnes enim demonstrare possunt aedes, ubi habito. Verum ite mecum.’

“Sequuntur illi, cum interea eius sermo omnis in ostentatione consumitur: in agris quaerit frumenta quo modo proveniant, quasi omnia sua sint; queritur quod villa sua nuper incensa sit.

“Interim, dum talia loquitur, forte animadvertit aedes cuiusdam civis locupletis, ubi convivae multi expectabantur; cumque ianitori notus esset, hospites introduxit, quibus: ‘Hic,’ inquit, ‘habito.’ Interim perspicit argentum, quod erat expositum, triclinium visit, omnia probat.

“Brevi autem accessit servus, qui homini clare dixit dominum iam venturum, si exire vellent. ‘Itane?’ inquit ille. Tum hospitibus: ‘Nunc eamus; frater enim ex Sicilia venit. Ego ei obviam eo; vos autem huc decima hora redite.’

“Hospites nihil suspicantes discesserunt, homo vero celeriter domum se contulit. Hora constituta ad aedes civis locupletis peregrini redierunt; unde derisi in deversorium rursus se recipere coacti sunt.

“Postridie in foro hominem viderunt, eumque accusaverunt. Ille autem dixit eos similitudine aedium deceptos esse, seque domi multam ad noctem expectasse.

“Interim servo suo imperaverat ut a vicino vasa, vestimenta, et eius modi alia utenda rogaret. Quae cum comparata esse putaret, hospites domum deduxit, cum simularet se maiores aedes suas amico cuidam ad nuptias commodasse.

“Dum ibi cenant, subito puer nuntiat argentum repeti; nam sollicitus factus erat is, qui id commodaverat. ‘Apage!’ inquit civis noster egregius; ‘aedes commodavi, familiam dedi. Argentum quoque vult? Etsi hospites habeo, tamen id quoque commodabo; nos interim Samiis delectabimur.’”

“Hahahae!” inquit mercator. “Spero hospites miseros cenam saltem gustasse, priusquam ea quoque auferretur.”

“Nihil amplius assecuti sunt,” inquit Cornelius; “et iure existimaverunt secum male actum esse.”

At alter: “His auditis etiam magis me omnium peregrinorum infelicium miseret. Et maxime doleo existimationem populi Romani pendere cogi talibus ex civibus, qualem tu modo dicebas.” Quae cum dixisset, in sole consedit; Cornelius autem cum filiis ambulare perseveravit, donec accessit Cornelia, quae: “Existimo,” inquit, “me aves quasdam volantes procul cernere. Easne vides, Sexte?”

“Paucas cernere mihi videor,” inquit Sextus. “Ex alto in insulam refugere videntur. Fortasse tempestatem cooriri sentiunt.”

“Quod omen di avertant!” inquit Cornelius. “Nam brevi in mari maximo vesabimur. Si nubes atrae in caelo tum cogentur, nec solem nec lunam aut sidera videre poterimus, nec gubernator sciet quo navem dirigat.”

“Saepe de avibus scriptores nostri mentionem faciunt,” inquit Publius. “Nonne sunt qui putent earum volatu res futuras portendi?”

“Maxime vero,” inquit pater. “Et profecto tu saepe audivisti de pullis, quos ei consulunt, qui pericula sunt adituri.”

“Haec mihi narra, sis,” inquit Cornelia; “ego enim numquam audivi.”

“Pulli illi,” inquit Cornelius, “in caveis custodiuntur. Cum periculum adest, educuntur, cibusque eis obicitur. Si edere nolunt, triste omen; sin autem vorant tam cupide ut aliquid e rostris excutiat, id est omen optimum.”

At Cornelia: “Estne vero eventus semper talis, qualem pulli portendunt?”

“Vix id audeo dicere,” inquit pater. “Etsi olim bello Punico primo populi Romani detrimento magno non nullis videtur planum factum esse haud impune talia portenta neglegi.

“Nam P. Claudius pullos, qui cavea liberati edere nollent, in mari mergi iussit, cum diceret eis bibendum saltem esse,

etiam si edere nollent. Cuius temeritatem dei graviter ulcisci videbantur, cum classis eius ad pugnam profecta clade maxima vinceretur.”

“Homo quam impius erat ille Claudius!” inquit Cornelia. “Certe dignus erat, qui poenas maximas solveret.”

“Ille vero,” inquit pater, “a populo condemnatus est; et eius collega, L. Iunius, qui alibi non paruerat auspiciis, classemque tempestate amiserat, se ipse interfecit.”

Dum haec dicuntur, Drusilla et Anna cum Lucio e camera prodierunt; quo viso, gaudio exsiluerunt liberi, qui cum fratre parvulo ludere iam diu cupiebant.

## CAPUT V

Lucius autem iam patrem aspexerat, manusque statim ad eum tendebat. Tum: "Quam bellus est ille parvulus," inquit mercator. "Quem cum video, admoneor de versibus illis lepidis poetae Catulli:

Torquatus volo parvulus  
Matris e gremio suae  
Porrigens teneras manus  
Dulce rideat ad patrem  
Semihiante labello."

"Scisne," inquit Sextus, "Publium quoque nostrum esse poetam? Versus luculentos paene cotidie facit."

Quo audito, Publius erubuit, et: "Tace, sis, Sexte," inquit. "Nonne te pudet tam stulte loqui?"

"Quin heri," inquit Sextus, "te in umbra veli sedentem vidi, cum aliquid summa cura conficeres."

"Age, fili mi," inquit Cornelius ridens; "verecundari non te deet. Audiamus quae scripseris."

Tali cohortatione inductus, Publius chartam haud invitus protulit, et: "Abhinc paucos dies," inquit, "Annam audivi, cum vesperi leniter cantaret, quo facilius Lucius obdormiret.

"Canebat de laboribus civium suorum, qui domo expulsi Babylonem in exilium deducti erant. Dulcissimus erat ille cantus, sed etiam maestissimus; cum autem Anna sua lingua uteretur, vix intellegere potui quid esset, de quo diceret. Sed paulo post me omnia docuit; ac verborum sententiam ego nostris modis exprimere sic conatus sum:

Sedemus amnis ad Babylonios,  
Nostrorum amaris funera lacrimis,  
Sione victa, conquerentes  
Exiliique gravis labores.

Iam victor atrox increpitans ioco,  
 'Sionis,' inquit, 'laetificis modis  
 Cantate laudes. Cur sedetis,  
 Consimiles ovibus, tacentes?'

'Hic ut canamus nos patrium deum  
 Maesti exsultantes, barbarica in domo?  
 Sion, male hostes sic cadant ut  
 Te cineresque tuos verebor.'

"Euge," inquit mercator; "mihi quidem hi versus optimi esse videntur. Si feliciter feceris progressum, aliquando poeta verus esse poteris."

At nunc Drusilla liberis: "Fortasse vobis quoque Anna aliqua narrabit. Eam rogate." (Anna enim cum Lucio interim discesserat, iamque haud procul sedebat.)

Illa, cum cognovisset quid liberi vellent: "Multa," inquit, "sunt clara facta virorum gentis meae; diesque me deficiat, si vobis omnia narrare coner. Audivistisne umquam de homine omnium validissimo?"

"Herculem, ut opinor, dicis," inquit Sextus. "Nam ferunt eum omnes viribus praestitisse."

"Herculem non dico," inquit Anna, "sed Samsonem, qui manibus ipsis leonem dilaniavit."

"Idem fecit Hercules quoque," inquit Sextus; "nam cum leonem Nemeaeum nec clava nec sagittis vincere potuisset, manibus ipsis monstrum occidit."

"Sed omnia nondum dixi," inquit Anna. "Samson, cum in quadam urbe hostes eum obsiderent, clam noctu ex oppido egressus, postes portae humeris abstulit."

"Eugepae!" inquit Sextus. "Vix credo Herculem ipsum id facere potuisse."

At Anna: "Postremo hostes certiores facti sunt vires Samsonis in capillo sitas esse; doloque eum aggressi, capillo privaverunt. Tum ille facile in eorum potestatem pervenit; quem, cum oculos eripuissent, in pistrinum deduxerunt, ubi in tenebris molam versare coactus est."

“Eheu,” inquit Cornelia; “quam me istius infelicis miseret!”

“Ipse se pulchre ultus est,” inquit Anna. “Nam olim, cum quaedam feriae haberentur, et multitudo maxima convenisset, puerum oravit ut manus suas in columnas templi imponeret (nam ipse iam caecus erat). Quo facto, Samson, cui capillus interim rursus promittebatur, omnibus viribus conisus columnas disiecit, et ruina templi hostes plurimos secum oppressit.”

“Haec est fabula adprime lepida,” inquit Sextus. “Potesne aliquid de bellatoribus claris narrare?”

Tum Anna: “Annales gentis nostrae exemplis talibus abundant. Longum est etiam pauca narrare. Sed olim erat pastor, qui vixdum iuvenis ingentem occidit hostem, a quo nostri verbis contumeliosis ad proelium provocati erant.”

“De isto narra, sis,” inquit Sextus. “Audire cupimus.”

At Anna: “Hostis erat gigas, quocum congredi nemo audebat; quare omnes credebant hunc iuvenem delirare, qui certamen tam impar inire vellet. Accedebat ut armis militaribus uti nesciret; quam ob rem in proelium prodiit cum funda tantum et lapidibus quibusdam levibus.”

“Amens profecto fuit,” inquit Sextus, “qui sic armatus cum bellatore ingenti congrediretur.”

“Nullo modo,” inquit Anna; “nam a deo auxilium sperabat, neque res eum fefellit; priusquam enim hostis propius accedere posset, lapidem in eius frontem tanta felicitate impegit, ut bellator ingens subito corruens humi pronus iaceret. Tum adulescens, gladio ipsius arrepto, caput hostis abscidit sanguineque cruentum ad regem retulit.”

“Vah!” inquit Cornelia. “Facta talia audiens horresco. Nonne quidquam laetius narrare potes?”

Tum Anna: “Multa laeta quoque commemorare possum. Quin etiam recordor quaedam de hoc ipso pastore adulescente, qui postea rex noster factus est.

“Olim, cum bellum cum finitimis gereret, illique praesidio occupavissent urbem, quae erat ipsius patria, tum rex, siti oborta, militibus audientibus: ‘Utinam,’ inquit, ‘nunc bibere possem e fonte gelido, qui ad portam patriae est!’

“Quo cognito, tres milites virtutis maximae, clam castris egressi, per stationes hostium via gladiis facta, ad fontem pervenerunt illum; tum, aqua inde celeriter hausta, ad regem incolumes se receperunt. Qui cum cognovisset quanto periculo aqua illa adlata esset, bibere noluit eamque libans humi perfudit.”

“Regem optimum!” inquit Cornelia. “Huius modi fabulis maxime delector.”

Sed iam Lucius, qui diu in gremio nutricis tacitus sederat, querellas edere coepit, Annaque eum in cameram ad matrem deduxit. Liberi interim abierunt, si forte Stasimum invenire possent.



## CAPUT VI

Paucos dies caelo sereno navigaverant, omnesque gaudebant, rati sine periculo ullo iter totum confici posse, cum subito nubes atrae e mari oriri visae sunt, quae brevi diem e conspectu vectorum eripuerunt. Terra iam procul aberat, ventique turbidi per rudentes stridere coeperunt.

Tum nautae vela contrahere properaverunt, et omnia quae usui essent ad vim tempestatis leniendam parata sunt. Interim magister mulieres una cum liberis et servis camera se continere iussit. Viri autem plerique in puppi paulisper ambulare perseveraverunt, etsi mox ventorum vi vestis eorum paene discerpebatur.

Sed brevi illi quoque libentur in locum tutum se receperunt; nam in mari iam erat atra nox, fluctusque maximi navem feriebant, omniaque mortem minari videbantur. In camera sedebant mulieres et liberi pavidi; interdum enim fluctus tantopere navem quatiebant, ut vix loco se tenere possent.

Publius autem, qui nolebat quemquam putare se esse sollicitum, librum poetae cuiusdam adsidue legebat. Cui postremo pater: "Quem librum," inquit, "tam attente legis, mi fili?"

"Hic est liber lepidus poetae Ovidi," inquit Publius. "De naufragio quodam optime scribit. Audite quam pulchri sint hi versus." Quo dicto, recitare coepit:

"Totidem videntur,

Quot veniant fluctus, ruere atque inrumpere mortes.  
Non tenet hic lacrimas; stupet hic; vocat ille beatos,  
Funera quos maneant; hic votis numen adorat  
Bracchiaque ad caelum, quod non videt, irrita tollens  
Pocit opem."

Sed iam Drusilla, quae prae terrore diu se vix continere potuerat: "Desine, obsecro," inquit, "librumque illum dirum omitte. Nonne vides nos quoque magno in periculo esse, et omnibus fortasse brevi pereundum?"

"Tranquillo es animo," inquit Cornelius. "Valida est navis nostra, et nautae exercitati. In saxa latentia nisi in tenebris

deferemur, omnia tuta sunt." Tum Publio: "Sed, mi fili, censeo illud carmen omittendum, donec omnes hilariores sint."

"Quam mox in Italiam perveniemus?" inquit Sextus, qui sub subsellium refugerat, ne quis sciret se flere.

"Aliquamdiu per mare Ionium iam provecti sumus," inquit pater, "et spero haud procul abesse terram Italicam."

Vix ea dicta erant, cum clamor magnus in puppi exortus est. Quo audito, Cornelius et viri alii e camera celeriter prodierunt. Undique erant fluctus velut aquae montes, qui iam navem submersuri videbantur; ventique tantopere furebant, ut homines malo rudentibusque se sustinere cogerentur, ne vi tempestatis raperentur e puppi in mortem praesentem.

Nubes autem iam rariores erant, inter quas dies iterum lucebat; et haud procul in mari vasto conspici poterat navicula, quae fluctibus in litus scopulosum insulae parvae recta ferebatur. Haec erat causa clamoris, quo vectores e camera excitati erant.

Tum Cornelius magna voce magistro, qui prope stabat: "Nihilne illis miseris hominibus," inquit, "opitulari possumus?"

Ille autem maestus abnuit, et: "Vis venti nimia est," inquit. "Eis si opitulari conabimur, nostra quoque navis in saxa feretur."

"Quam hoc est foedum visu!" cum gemitu inquit Cornelius. "Aspice, sis; malus iam fractus est, et vectores infelices vestis pro velis tendunt; alii merces in mare praecipitant, ut navis sublevetur. Omnibus modis se morti eximere conantur."

Dum haec fiunt, Publius quoque e camera egressus pedetemptim et caute ad patrem adiit. Quo cum pervenisset navemque vidisset alteram, "Eheu!" inquit. "Male metuo ne hodie verum naufragium aspiciamus."

"Recte dicis," inquit Cornelius. "Neque ullo modo eis miseris opitulari posse videmur."

"Aspice!" inquit Publius. "Iam pauci cymba parva effugere conaturi sunt. Vide cymbam, quam effrenate in fluctibus saltet! Modo in conspectu est, modo aspici nusquam potest! Nunc in ea sunt tres homines. Iam remos agere incipiunt. Attat! Nunc venit aquae mons! Cavete, miseri, cavete vobis!"

Vix haec verba dixerat, cum fluctus ingens cymbam parvam evertit. Paulisper viri duo in gurgite luctantes aspiciebantur; tum in mari mersi sunt.

“Ista diutius videre non sustineo,” inquit Cornelius, et prope in cameram se contulit. Publius autem cupiditate videndi in puppi morari perseveravit; utque pater cum Onesimo et Stasimo iterum prodiit, insula parva e conspectu recesserat, neque usquam conspici poterat navis altera.

Sol, qui iam coeperat fulgere, undis se condere properabat, cum nautae procul montes cernere potuerunt; tum omnes hilari vultu erant, cum sperarent se brevi in portum perventuros; ac Cornelius Stasimo: “Abi,” inquit; “dominae nuntia, ut in puppim prodeat; nam demum terram in conspectu esse.”

Stasimus statim discessit, et patri Publius: “Existimo nos Brundisii e nave egressuros,” inquit. “Nonne res se ita habet, pater?”

“Ita, mi fli,” inquit Cornelius. “In hac regione orbis terrarum nullum oppidum portum meliorem habet. Hic est locus, ut scis, unde Pompeius Magnus naves solvit, cum Caesarem fugiens exercitum in Graeciam traderet. Et sicut nos montes illos nunc videmus appropinquare, ita ille tum eosdem nebulis procul obscuros e conspectu suo discedere vidit. Qua de re poeta Lucanus versus aliquos fecit pulcherrimos.”

Interim Drusilla cum liberis e camera prodierat. Brevi tenebrae e mari surgere coeperunt; ac Cornelia, quae iam cum patre et fratribus stabat: “Videte,” inquit. “Aspicere videor lumen parvum procul micare. Quid est, obsecro?”

“Haec est pharus,” inquit pater, “quae noctu viam nautis monstrat, quo tutius naves in portum deducere possint. Sine lumine fortasse e cursu errarent, navesque in litus iniquum deferrentur.”

“Euge!” inquit Cornelia. “In portum igitur nos profecto tuto perveniemus. Sed nunc mihi intro eundum est, ut cum Anna sedeam, dum Lucius obdormiscat.”

Itaque illa discessit. Ceteri autem aliquamdiu in puppi ambulabant; nam tempestas iam erat tam serena ut nemo intro se recipere vellet.

## CAPUT VII

Postero die vectores, maritima iactatione fessi, e navi egredi cupiebant; ac Cornelius Onesimum cum Stasimo ad quendam Crassum, hospitem suum, statim misit, ut ei nuntiaret ipsum cum uxore et liberis in portu esse.

Interim omnes tempus varie trahebant; dum enim servi redirent, Cornelius incertus erat quo deverteret. Sed iam accessit mercator, de quo supra diximus. Ille, e navi egressurus: "Gaudeo," inquit, "nos postremo ad terram incolumes pervenisse. Erat tempus cum putarem nos numquam vivos patriam visuros esse."

"Recte dicis," inquit Cornelius. "Neptuno certe gratia maxima habenda est, quod omnia tam feliciter evenerunt. Cum illos naufragos miseros in mari mersos videremus, paulum afuit quin extemplo tabulam pictam voverem, si ullo modo vim tempestatis nos effugere potuissemus."

Et mercator: "Profecto vera sunt verba eius, qui apud Plautum ita loquitur:

Voluptas nullast navitis, Messenio,  
 Maior meo animo, quam quando ex alto procul  
 Terram conspiciunt."

"Haec me admonent," inquit Publius, "de carmine a poeta Catullo scripto, cum domum redisset, postquam in Asia annum afuit. Versus aliquos fortasse memoria pronuntiare possum:

O quid solutis est beatius curis,  
 Cum mens onus reponit, ac peregrino  
 Labore fessi venimus larem ad nostrum  
 Desideratoque adquiescimus lecto!"

"Te laudo, Publi," inquit Cornelius, "quod tantam operam poetis nostris das; etsi satis scio multos cives nostros parvi poetas omnes pendere. Sed nulla est disciplina, qua facilius ad humanitatem veram pervenias."

“Sed mihi nunc abundum est,” inquit mercator. “Spero aliquando nos iterum in urbe Roma convenire posse. Iam valet.”

“Vive et vale,” inquiunt omnes, ut mercator in scapham descendebat; qui ad terram vectus brevi e conspectu amissus est inter homines qui convenerant, ut cognoscerent quae naves in portum noctu pervenissent.

Interim liberi quam longissime prospectabant, si forte Onesimum et Stasimum redeuntes aspicere possent. Cum autem diu frustra exspectassent, Annam quaerere coeperunt, rati ei persuaderi posse ut fabulas aliquas narraret, quo minus tarde horae discedere viderentur.

Anna, quae haud procul cum Lucio consederat, cum liberos vidisset, adrisit et: “Quid nunc, liberi?” inquit. “Nonne Onesimus iam rediit?”

“Eum nusquam video,” inquit Cornelia. “Nonne tu vis aliquid nobis narrare, quo iucundius tempus terere possimus? Plura de viris gentis vestrae audire cupimus.”

“Vix intellego unde potissimum incipiam,” inquit Anna; “tam multa simul mihi in mentem veniunt; et e multis pauca eligere haud facile est.”

“De bellatoribus aliquid die,” inquit Sextus. “Nihil eo est iucundius.”

At Cornelia: “Noli ita facere, amabo,” inquit. “Caedis et sanguinis me iam diu taedet. Aliquid et laetum et notabile narra, sis.”

“Difficile est,” inquit Anna, “haec duo confundere; sed experiar quidem: Olim erat vates, qui longe a patria in servitutem deductus erat. Diu apud regem peregrinum maximo in honore habebatur. Sed principes eius civitatis, invidia commoti, quod advena apud regem tantum gratia valebat, insidias ei struxerunt.

“Vates deum patrium cotidie adorabat, deis autem aliis existimabat nefas honorem haberi. Quare inimici, qui haec omnia bene intellegebant, regem dolo adorti, ‘Semper vivas, o rex!’ inquiunt. ‘Quod neque in terris neque in caelo est quisquam tecum conferendus, censemus ut edictum proponas, ne

quis his triginta diebus quemquam nisi te adoret; si quis aliter fecerit, ad bestias damnatus esto.'

"Rex, quem dolus omnino fefellerat, honore sibi habito laetus, libenter id pollicitus est, atque edictum proposuit. Tum sero sensit se a principibus circumventum esse; edictum enim regis semel propositum nec rescindi nec mutari poterat.

"Omnia maerens temptavit, quo modo vatem conservaret, sed nihil reperiebat; cumque principes convenissent hominisque mortem postularent, tristis vatem ad bestias damnare coactus est."

"Vah!" inquit Cornelia. "Haec mihi vehementer displicent. Nonne modo dixi me iam diu caedis sanguinisque taedere?"

At Anna: "Manedum," inquit, "dum reliqua audias. Vates interim nihil terrebatur; sed in speluncam leonum plenam demissus, cum saxum magnum insuper collocatum esset ne qua effugere posset, laudes tamen clare deo suo cantavit.

"Iam rex, vigiliis dispositis, animo maxime conturbato domum se contulerat, ubi nec cibum capere nec somno quiescere potuit; sed noctem totam sollicitus vigilabat. Cum dies demum illuxisset, e lectulo surrexit et celeriter ad speluncam pervenit. Quo ubi ventum est, voce flebili: 'Veri dei vates,' inquit, 'adhuc animam vitalem carpis?'

"Tum e spelunca audita est vox vatis: 'Semper vivas, o rex! Salvus sum; nam deus patrius nuntium misit, qui fauces leonum praecluderet'. Quo audito, rex gaudio elatus saxum amoveri iussit; vatesque incolumis e spelunca in lucem redditus est."

"Euge!" inquit Cornelia. "Quam gaudeo rem eventum tam felicem habuisse!"

At Sextus: "Quid factum est, obsecro, illis principibus scelestis, qui tantum dolum frustra fabricati erant?"

"Omnes," inquit Anna, "in vincula celeriter coniecti una cum uxoribus liberisque ad bestias damnati sunt. Quos, ubi in speluncam sunt demissi, leones saeviter dilaniaverunt." Tum subito: "Sed Stasimum mihi videor procul aspicere. Nonne is est?"

"Est profecto ipse," inquit Sextus; liberique celeriter abierunt, ut audirent quid novi adlatum esset.

## CAPUT VIII

Cum servi in navem conscendissent, Onesimus ad Cornelium accessit, et: "Crassus ille, ere," inquit, "ad quem missi sumus, negotio cum quibusdam colonis haud procul habitantibus contracto, hodie mane rus praefectus est ut eos conveniret, nec domum ante vesperum est rediturus."

"Male hercle nuntias," inquit Cornelius. "Iam hoc tantum reliquum est, ut hic eius reditum exspectemus. Quare tu, Stasime, abi, et Drusillae nuntia celeritate iam nihil opus esse."

Postquam abiit Stasimus, liberi Onesimum circumstabant, cupidissime rogantes quantum aut qua facie esset oppidum. Ille autem recta ad Annam profectus: "Quam vellem," inquit, "Stasimum nostrum tu hodie videre potuisses!"

"Quam ob rem, obsecro?" inquit illa. "An iste vafer denuo ludos faciebat?"

"Et lepidissimos," inquit Onesimus. "Nam, ut ad hospitem venimus, summa comitate accepti in atrio sedebamus, dum quaereretur quam mox dominus rediturus esset.

"Cum ita moraremur, subito intravit servus rusticus, qui nuper e villa in urbem accessit erat. Ille rauca voce: 'Qui homines estis?' inquit. Ac, priusquam ego respondere possem, Stasimus, se magnum ferens: 'A rege Indorum', inquit, 'nos legati sumus'.

"Hahahae!" inquit Anna. "Quid tum fecit iste rusticus?"

"Primo obstipuit," inquit Onesimus. "Tum autem alia quaerere coepit, et sermo huius modi institutus est:

*Servus.* Dum huc navigatis, multas terras vos videre oportuit.

*Stasimus.* Ita vero. Resque mirandas ubique aspeximus.

*Servus.* Cum hic tempus teras, de his rebus mihi narra, sis.

*Stasimus.* In Syria ardor solis maximus est. Solstitiali morbo ibi homines ut muscae intereunt.

*Servus.* Papae! Saepe nostro in fundo sol satis fervidus est, sed numquam tam exitalis.

*Stasimus.* Alternae arbores sunt fulguritae, bovesque alterno in sulco moriuntur.

*Servus.* Haec vix credere possum!

*Stasimus.* Quin etiam multa sunt mirabiliora, quae nondum dixi. Quodam loco cymba vecti sumus ad caput amnis, qui de caelo exoritur sub solio Iovis.

*Servus.* Abi, me ludis. Etsi rusticus sum, me ita fallere nullo modo potes. Pater meus in Syria natus est; eo praesente tanta mendacia dicere non auderes.

*Stasimus.* Quin etiam idem dicam, si avum tuum adducere velis. Nonne vis reliqua audire?

*Servus.* Audiam vero; sed nihil me crediturum polliceor.

*Stasimus.* Dum medio mari iter facimus, saepe sub fluctibus monstra miranda natantia vidimus.

*Servus.* Sine dubio multa talia cepistis, quae nunc vobiscum in navi habetis.

*Stasimus.* Nihil cepimus. Sed dies complures plane videre poteramus serpentem maximum oculis ardentibus, qui navem sescenta milia passuum sequebatur.

*Servus.* Exspectabat, credo, dum aliquis e navi in aquam excideret, ut eius membris vesceretur.

*Stasimus.* Olim bovem, quae forte mortua est, in mare iecimus, eamque totam monstrum illud uno morsu voravit.

*Servus.* Apage te! Talia non diutius audiam.

“Sed iam redierant servi ceteri, qui nos de domini negotio certiores fecerunt. Itaque statim ad navem discessimus.”

Tum Anna, cum satis risisset: “Male metuo,” inquit, “ne impudentia sua Stasimus noster in maximum malum aliquando incidat. Sed certe est puer admodum ridiculus.”

“Recte dicis,” inquit Onesimus. “At nunc mihi abundum est, ut rationes quasdam conficiam;” quo dicto, leniter ad cameram ambulavit. Liberi autem, qui cupidissime eius verba audierant, adhuc prope Annam morabantur; quam mox rogarunt ut sibi aliquid narraret.



At illa: "Vobis liberis," inquit, "nihil umquam satis erit. Quid nunc audire vultis?"

Tum Cornelia: "Fabulis de viris vestrae gentis maxime delector. Nonne est aliud eius modi, quod vobis narrare velis?"

"Dum verba Onesimi audio," inquit Anna, "mihi in mentem venit cuiusdam vatis, qui Ionas appellabatur. Is quoque multa miranda in mari passus est."

"De hoc narra nobis, sis," inquit Sextus.

"Oraculo quodam," inquit Anna, "Ionas iussus erat Niniven proficisci, ut oppidanos de ira dei moneret. Cum autem eo iter facere nollet, navem conscendit, quae alias in partes proficisceretur."

"Mox vento maximo mare turbatum est, ac brevi omnia hominibus mortem praesentem minari videbantur. Ionas autem somno consopitus nihil audivit, priusquam a vectoribus ceteris suscitatus est."

"Tum omnes, ad vota conversi, suum quisque deum precati sunt ut e periculo tanto eriperentur. Postremo autem unus: 'Nihil hoc proficit', inquit. 'Sortes, socii, coniciamus, si forte ita cognoscere possimus, cuius culpa in hoc tantum malum inciderimus'."

"Sortibus coniectis, Ionas est designatus. Quem igitur in mare eiecerunt, ac tempestas serena statim consecuta est. Ionam piscis immanis devoravit, sed tribus post diebus in litus incolumem eiecit."

"Hui!" inquit Sextus. "Mihi quidem etiam Stasimo maiora tu fingere posse videris."

"Haec autem vera sunt," inquit Anna ira incensa. "Nihil amplius a me hodie audietis." Quae cum dixisset, se cum Lucio in cameram recepit.

Liberi igitur, ut potuerunt, horas diei longas trahebant. Sub noctem, cum iam advesperasceret, vox canentis e camera ad eorum auris adlata est. "Audite," inquit Cornelia; "mater Lucium iam consopire conatur." Tum, ut omnes tacentes sedebant, vox Drusillae exaudiri poterat:

“Nunc hominesque labore gravatos,  
Nunc requies pecudemque vocat;  
Omnia leniter arva nigrescunt,  
Silva simul sine murmure stat.

Sidera, parve, micantia somnum  
Iam pueris avibusque cient;  
Nunc oculos, placidissime, conde,  
Somnia dulcia te maneant!  
Lal-la-la, lal-la-la, care, quiesce,  
Mater enim in tenebris vigilat.”

## CAPUT IX

Postero die hospes ad litus mane praesto erat; ubi cymbam conduxit, et ad navem celeriter vectus est. Qui cum primum Cornelium vidit: "Salve, Corneli," inquit. "Gaudeo te huc incolumem pervenisse. Dum Brundisii moraberis, spero te apud me in hospitio futurum; immo fecisses melius, si statim ad me venisses."

Cui Cornelius: "Benigne facis, Crasse, qui nos tam comiter hospitio accipere velis. Ac libenter apud te paulisper morabimur; sed mox Romam progrediendum erit."

Quae cum dicta essent, Cornelius, portorio iam soluto, Onesimo imperavit ut Drusillae nuntiaret omnia iam parata esse. Quae, non multum morata, cum Anna liberisque e camera egressa est; omnesque cymbis vecti harena optata brevi potiti sunt.

Liberi, si licuisset, libentissime in harena lusissent. Sed pater properare iussit, ne quid morae esset hospiti optimo, qui iam praecesserat ad redas, quas ad litus produxerat, quo celerius Cornelius ceterique veherentur ad villam suam, quae satis longe ab urbe aberat.

Quo cum ventum esset, liberi gaudio elati discurrerunt, ut boves, ovis, ceteraque omnia viderent, quae in fundo habebantur. Brevi autem revocati sunt, ut cibum caperent; nam impransi e navi egressi erant.

Post prandium Cornelius ad urbem redire coactus est, ut quaedam curaret, priusquam Romam iter tendere inciperet. Liberi interim omnes in partes per fundum denuo errabant; sed postremo defessi se receperunt in umbram arborum, ubi Anna servabat Lucium, qui secum in herba ludebat.

Tum Sextus: "Spero, Anna cara," inquit, "te non adhuc nobis iratam esse propter ea quae ego heri imprudens dixi. Ludendo nos iam defessi sumus. Nonne vis aliquid narrare de bellatoribus aut de re quavis alia?"

At Anna: "Heri ira incensa sum," inquit, "quod ea, quae narraveram, in sacris libris nostris scripta sunt. Si eos irrisui habiturus es, nihil posthac vobis narrabo."

"Noli timere," inquit Sextus. "Omnino nihil irrisui habebimus."

"Tum," inquit Anna, "aliquid narrare conabor: Priscis temporibus gens nostra in Aegypto retinebatur sub duro imperio regis illius regionis, civibusque meis labores multi et graves impositi sunt. Cotidie laterum numerum certum coquere coacti, postremo sunt iussi lateres etiam sine stipula conficere."

"Regem quam inhumanum!" inquit Cornelia. "Quo modo homines miserrimi tantam crudelitatem ferre poterant?"

At Anna: "Diu non habebant quid facerent. Sed postremo inter eos exortus est dux Moyses appellatus, qui eis persuasit ut clam fugerent, et in terram longinquam migrarent."

"Quid fecit rex," inquit Cornelia, "cum haec audisset?"

"Ille," inquit Anna, "ut primum cognovit nostros effugisse, exercitum unum in locum cogi iussit, et quam celerrime cum equitibus profectus est ut fugientes exciperet."

At Cornelia: "Spero eum consequi non potuisse."

"Mox audies," inquit Anna. "Dum exercitus regius cogitur, nostri advenerunt ad sinum angustum, qui iter plane ocludebat. Sed forte tum ventus maximus, subito coortus, aquam tanta vi reppulit, ut via lata per undas pateret; qua omnes incolumes ad litus ulterius pervenerunt."

"Optime factum!" inquit Sextus. "Interim quid faciebat rex?"

Tum Anna: "Rex, cum eodem pervenisset, viam per mare patefactam attonitus vidit. Qua autem ut ipse cum suis transire conatus est, vento subito deficiente, aqua in locum rediit, rexque una cum equitibus suis mari submersus est."

"Omnesne perierunt?" inquit Cornelia.

"Ad unum omnes," inquit Anna. "Nostri autem interim in loca deserta properaverant; ubi multos annos errabant, donec pervenerunt in regionem, ubi ego nata sum."

“Ibi tandem spero omnia eis evenisse feliciter,” inquit Cornelia, “et post tantos labores eos placida pace quievisse.”

Sed Anna: “Longe aliter res evenit. Nam Palestini, gens bellicosissima, tum eam terram incolebant; quibuscum multos annos bella atrociter sunt gesta. Postremo autem hac regione tota nostri potiti sunt.”

Dum haec narrantur, accessit Publius. Quem cum ridentem animadvertissent, Sextus: “Quid est, frater?” inquit. “Si quid novi factum est, nobis dic, obsecro.”

Tum Publius: “Modo in via obvius fui cuidam homini, qui tanto aere alieno opprimebatur, ut omnia bona sua vendere vellet. Itaque ubique auctionem conclamabat.”

“Quo modo auctio conclamabatur?” inquit Cornelia.

“Hoc modo,” inquit Publius: ‘Auctio fiet mane die tertio. Venibunt servi, supellex, fundi, aedes; omnia venibunt praesenti pecunia. Venibit—uxor quoque, si quis emptor venerit.’”

“Hominem infelicem!” inquit Anna. “Veri simile est ei esse uxorem procacem. Si ita res se habet, credo eum omnia vendere velle, ut aliquo exsulatum abeat.”

Iam autem tempus cenae erat. Itaque omnes libenter ad tecta se receperunt, cum interim Publius saepius secum: “Ab ovo usque ad mala.”

“Quid tecum totiens loqueris, Publi?” inquit Sextus.

“Dico me tam male esurire,” inquit Publius, “ut etiam serpentium ova edere possim.”

“Vah!” inquit Cornelia. “Cur pueri tam foeda semper comminiscuntur? Talia non diutius audiam.” Quae cum dixisset, celeriter intro praecurrit.

## CAPUT X

Paulo post Publius et Sextus foras egressi ultro citroque ambulabant, exspectantes dum pater ex oppido rediret. Et Sextus: "Videsne," inquit, "illum senem sub arbore sedentem? Accedamus, ut cum eo fabulemur."

"Fiat," inquit frater. "Sed ille stultus et rusticus mihi videtur, nec credo eum nobiscum libenter locuturum."

At Sextus: "Experiar quidem. Nam etiam si colloqui nolet, nihil nobis nocebitur." Quo dicto, accessit ad senem, qui oculos aversos tenebat, et: "Salve, pater," inquit. "Spero te hodie bona valitudine uti."

Tum senex leniter se convertit, et, manu ad aurem admota, rauca voce: "Numquid locutus es, obsecro?" inquit. "Nihil plane audire possum."

Quare Publius maxima voce: "Salve, senex," inquit. "Bene tibi sit." Deinde summissa voce: "—etsi deos precor ut te infelicient, qui me ita ramices rumpere cogas."

"Amice facis," inquit senex surdus; "et precor ut di omnia faciant, quae tu rogas."

Quo audito, Sextus vix risum continere potuit; et fratres celeriter se receperunt, ne senex sentiret se ab illis derisum esse.

Cum iam paulum discessissent, Sextus: "Animadvertistine, Publi," inquit, "quam calvus esset ille senex? In sole eius caput plane splendidum erat."

"Vidi," inquit Publius. "Homo vero infelix est; mala enim aliud super aliud ei accidisse videntur."

At Sextus: "Quid est, obsecro, cur homines tantopere calvitiam oderint? Nam animadverti paene omnes calvos raritatem capilli sui pudere."

"Poeta Aeschylus saltem," inquit Publius, "causam iustam habuit, cur eum calvitiei suae paeniteret."

"Quo modo?" inquit Sextus. "Haec, sis, mihi narra."

"Memoriae traditum est," inquit frater, "illum olim, in Sicilia morantem, exisse ex moenibus urbis et in loco aprico

sedisse. Tum aquila, testudinem rostro ferens, decepta splendore poetæ capitis (nam erat capillo vacuum), lapidem esse rata, in id testudinem immisit, ut, testa fracta, carne vesceretur. Quo casu poetæ egregio vita adempta est.”

“Vah!” inquit Sextus. “Exitum quam mirandum! Sed hæc me admonent de fabula, quam Anna nuper nobis narravit.”

“Quid locuta est?” inquit Publius.

At Sextus: “Dixit quondam gentis suæ vatem calvum fuisse, quem pueri in via consecrari soliti essent, cum cantarent: ‘Abi in malam rem, calve; abi in malam rem, calve’. Postremo vates, ira incensus, ad liberos conversus eos exsecratus est; et statim e silva venerunt ursæ ingentes, quæ eos liberos procaces dilaniaverunt.”

“Anna certe res mirandas narrat,” inquit Publius. “Sed tu recte dicis Romanos pæne omnes calvitiam odisse. Quin etiam tradunt divum Iulium libentissime recepisse decretum, quo ei liceret semper lauream coronam gestare, ne quis raritatem capilli animadverteret.”

“Imperatoresne alii aequè calvitiam oderant?” inquit Sextus.

“Domitianus,” inquit frater, “libellum de cura capillorum scripsit; et Caligula imperator etiam morte multavit omnes, qui ex superiore parte aedium in viam despexerant, cum ipse transiret.”

“Papæ!” inquit Sextus. “Gaudeo nos aetate feliciore vivere. Sed quos ego video advenientes? Nonne pater est?”

“Est ipse,” inquit Publius. “Adde gradum, Sexte, ut eum salutemus. Miror autem quis sit alter, qui cum eo in reda sedet; hominem agnoscere videor, nec tamen dicere possum quis sit.”

Cum autem Cornelius et amicus propius accessissent, Publius subito: “Ille est profecto noster familiaris vetus, L. Torquatus. Salve, Torquate; libentissime te video. Ubi hos annos afuisti? Quo iter fecisti, aut quæ vidisti?”

“Salvete, iuvenes,” inquit Torquatus ridens, cum ex reda descenderet. “Multa simul rogitas, Publi. Paulo post intus ad singula respondebo.”

Interim Cornelius Onesimo, qui, vocibus auditis, foras egressus erat: "Abi," inquit; "dominae nuntia de improvise adesse familiarem nostrum Torquatum, qui, etsi in Siciliam properet, hic unam noctem morari velit, ut amicitia pristina recolatur."

Cum ceteri in tectum se recepissent, Sexto Publius: "Audi-vistine umquam," inquit, "unde Torquati cognomen illud traxerint?"

"Numquam audivi," inquit Sextus. "Unde, obsecro?"

At Publius: "Memoriae traditum est abhinc multos annos, cum Galli nobis bellum inferrent, quendam ex hostibus, torque atque armillis decoratum, ex acie progressum magna voce clamasse, si quis secum depugnare vellet, ut prodiret.

"Gallus erat homo ingens, qui omnes suos viribus ac magnitudine corporis antecellebat. Quare paulisper e nostris nemo procedere ausus est. Hostis igitur irridere coepit atque linguam exsertare.

"Qua contumelia concitatus, T. Manlius, iuvenis summo genere natus, indignum esse ratus tantum flagitium civitati accidere, ex acie progressus fortiter contra Gallum ingentem constitit.

"Acriter dimicatum est; sed postremo hostis gladio traiectus corruit. Tum Manlius victor caput eius celeriter abscidit, torquemque cruentum hosti detractum in collum sibi imposuit. Quo ex facto et ipse et posterius eius 'Torquati' sunt nominati."

"Gloriam bene partam!" inquit Sextus. "Quam vellem adhuc esse Gallos, quibus occidendis famam magnam adipisceremur!"

"Noli desperare," inquit Publius ridens. "Parthi adhuc supersunt. Fortasse tu cum eis aliquando congredi poteris. Sed nunc intro eamus." Quo dicto, illi quoque tectum intraverunt.



## CAPUT XI

Intus, cum lumina accensa essent, Torquatus, qui iam sermone vacabat, ab omnibus de itineribus suis interrogatus est; nam longe et late terra marique iter solebat facere, ac multa iucunda et mirabilia narrare poterat.

Tum ille: "Publio," inquit "modo pollicitus sum me brevi responsurum. Itaque aequum est me ei primum operam dare."

Quo audito, Publius laetus: "Si nuper," inquit, "per mare septentrionale navigasti, nos doce, sis, num ea vera sint, quae apud Tacitum leguntur de illo latere mundi."

"Ego vero," inquit Torquatus, "nuper iter maximum sub septentriones feci; ac magna ex parte vera esse ea repperi, quae apud Tacitum sunt."

"Verene igitur dicuntur dierum spatia ibi maiora esse quam in Italia?" inquit Publius.

"Ita vero," inquit Torquatus. "Quin etiam in Britannia noctes interdum tam sunt breves, ut in extrema parte insulae vix inter finem et initium diei internoscere possis. Ac si nubes non officiant, quidam affirmant solis fulgorem per noctem totam aspici posse, neque eum occidere et surgere, sed velut transire."

"Papae!" inquit Sextus. "Nolim dies tam longos esse. Puerine ibi ad solis occasum in ludo retinentur?"

"Apud Britannos," inquit Torquatus ridens, "pueri equitant, et armis militaribus exercentur. Ibi haec studia maximo in honore sunt."

"Pueros felices!" inquit Sextus. "Existimo me aliquando in illam insulam beatam migraturum."

"Ego vellem adfuissem," inquit Publius, "cum Caesar primum Britanniam attigit. Quanta fuit virtute ille signifer, qui in fluctus desiluit suosque in hostes duxit!"

"Res ibi hodie longe aliter se habent," inquit Torquatus. "Nulli bellatores barbari, in litore congregati, advenas harena prohibent. Sed ubique tuto mercatores ultro citroque comitant."

“Aliasne quoque in partes iter fecisti?” inquit Cornelius.

“Maxime vero,” inquit Torquatus. “E Britannia profectus, usque ad Suiones perveni. Ibi quoque noctes tam breves sunt ut solis fulgor stellas obscuret. Quin etiam aliquos audivi, cum dicerent se solis currum e mari emergentem audisse, atque formas quoque equorum vidisse et capitis radios.”

“Illud est maius quam ut ego credam,” inquit Sextus. “Tunc, pater, talia credis?”

“Illud quidem vix credibile est,” inquit Cornelius. “Sed, Torquate, cum loca tam multa adieris, age nunc, itinera tua ordine audiamus.” Qua cohortatione inductus, Torquatus ordinem exposuit itinerum suorum, ex eo tempore exorsus, quo eum novissime viderant.

Iam autem liberis erat tempus cubitum eundi; ac Sextus et Cornelia perinviti cum matre in conclavia proxima se receperunt. Tum Sextus: “Perraro, mater, tu aliquid nobis narras. Nequaquam somniculosi sumus, et libentissime a te fabulam audiamus.”

“Si paucis verbis contenti eritis,” inquit Drusilla, “de leone fabulam vobis narrabo.”

“Euax!” inquit Sextus. “Spero rem fore cruentam, ut Cornelia arte dormiat.”

“Noli timere, Cornelia,” inquit mater. “Nihil sanguinis effundetur.”

“Sanguinis iacturam ego doleo,” inquit Sextus; “sed audiamus.”

Tum Drusilla: “Olim, cum Romae spectacula ederentur magna, et multae bestiae immanes in harenam immitterentur, quidam homines miseri, capitis damnati, delecti erant, qui cum his monstris depugnarent; in quibus erat servus, qui Androcles appellabatur.

“Maxime conspicuus in harena erat leo, qui alias bestias omnes viribus et magnitudine corporis longe antecellebat, quique terrifico fremitu oculos omnium spectatorum in se saepe convertit. Is leo, cum Androclē aspexisset, primo quasi admirans paulisper stetit, tum lente et placide ad eum accessit; deinde

caudam more canum clementer et blande movere coepit, ac postremo manus hominis perterriti lingua sua mulcebat.

“Hac re nova commotus, imperator iussit Androcleum arcessi; a quo quaesivit cur leo tam mirabiliter ei pepercisset. Tum Androcles rem mirandam narravit.

“Nam, ut dicebat, multo ante in Africa fuerat, cum dominus eam provinciam proconsulari imperio obtineret; cuius crudelitate coactus in loca deserta postremo refugit, ubi speluncam latebrosam nactus defessus quievit.

“Brevi autem, subito experrectus, sensit leonem ingentem in speluncam intrasse. Primo perterritus spem omnem salutis dimisit; tum autem animadvertit leonem claudicare propter spinam magnam, quae in pede defixa erat.

“Interim belua leniter accessit et sublatum pedem ostendit, quasi hominis opem ita peteret. Tum Androcles, quamvis perturbatus, spinam detraxit; et deinde per triennium et homo et leo in spelunca habitaverunt, cum interim leo cotidie venatum abiret, et homo, qui ignis copiam haberet nullam, carnem meridiano torreret sole.

“Sed olim Androcles, qui forte e spelunca exierat, a militibus deprehensus ad dominum Romam missus est; ubi, ut fugitivus, ad bestias est damnatus. Quo modo factum est ut leo, qui quoque interim captus erat, in harena amicum pristinum laetus agnosceret.”

Dum haec narrantur, Publius, qui librum quendum quaerebat, in conclave intraverat, et ille: “Cum talia de bestiis audio,” inquit, “admoneor de verbis poetae Vergili, qui cecinit res quam mirandae futurae essent, cum iterum aetas aurea in terras rediisset:

Ipsae lacte domum referent distenta capellae  
Ubera, nec magnos metuent armenta leones.”

Tum Cornelia: “Et ego admoneor,” inquit, “de fabula, quam Anna nuper de vate narravit, qui incolumis in spelunca leonum plena pernoctavit.”

Tum, cum gratiae matri actae essent, liberi cubitum ierunt.

## CAPUT XII

Prima luce omnes experrecti sunt, cum sperarent se statim Romam profecturos esse, quamquam Crassus eos summa comitate hospitio accipiebat, et libenter diutius erat retenturus.

Sed priusquam abire possent, et cum iam redae ante fores starent, tabellarius celer ex oppido venit, qui Cornelio litteras redderet, quibus in oppidum revocabatur, ut quoddam negotium neglectum curaret.

Ille igitur Onesimo et Stasimo imperavit ut omnia parata haberent, et ipse abiens: "Spero," inquit, "nos paulo post meridiem demum Romam proficisci posse. Nam hoc negotium etsi magnum tamen breve est, et paucis horis huc redibo."

Quo dicto, in redam cum Torquato escendit, ac celeriter ad oppidum vectus est. Interim liberi, spe profectionis lapsi, huc illuc vagabantur, nec quid agerent habebant.

Tum Drusilla: "Debetis," inquit, "aliquid comminisci, quod vos exerceat. Nam, ut est in vetere proverbio: 'Otiosae manus facile lasciviunt'."

"Id saepe audivimus," inquit Sextus; "sed quid faciamus nusquam reperire possumus."

"Illic," inquit Drusilla, "Publium ambulans video. Cur eum non rogatis num quid recordetur de rebus gestis eorum civitatis principum, qui olim in his regionibus inter se bellum gerebant?"

"Fiet," inquit Sextus. "Sequere, Cornelia. Ad Publium accedamus."

Qui cum eos appropinquantes vidisset, procul: "Iam scio," inquit, "quid vos agatis. Numquam erant liberi fabularum tam cupidi. Sed per omnes deos iuro me non facturum quod rogaturi estis."

"Id vero nobis satis est," inquit Sextus; "nondum enim scis quid rogaturi simus. Publi frater, nos a te cupidissime petimus, ne quid nobis hodie narres."

Quo audito, Publius coactus adrisit, cum sentiret se tam callide suis verbis circumventum esse. Quare: "Dicite," inquit. "Qua de re audire vultis?"

Tum Sextus: "Cum Caesar dictator et Pompeius Magnus de imperio inter se decertarent, nonne aliquid notabile ad Brundisium actum est?"

"Multa vero," inquit Publius; "quae scripta primo libro commentariorum de Bello Civili modo legi."

"De his igitur expone," inquit Sextus. "Nos ad audiendum parati sumus."

Tum Publius: "Cum Caesar e provincia in Italiam transisset, Pompeius, pecunia raptim ex aerario sublata, huc in Calabriam profectus est, cum nondum in acie cum Caesare congregi auderet, et speraret se copias suas in Graeciam traducere posse, ubi, opibus firmatis, denique commodius dimicaret."

"Numquam putavi," inquit Sextus, "Pompeium tam ignavum fuisse. Cur non, ut viro dignum erat, in Italia manebat, ut statim res diiudicaretur?"

"Rem in discrimen adducere nondum erat paratus," inquit Publius. "Quin etiam Roma tanta celeritate discessit, ut omnino desereret L. Domitium, legatum suum, qui Corfinium praesidio tenebat."

"Quid, obsecro, Domitio et praesidio illo factum est?" inquit Cornelia.

At Publius: "Caesar, cum eo pervenisset, ante moenia oppidi conedit; et Pompeiani, qui suo duci parum confidebant, brevi ei se suaque omnia dederunt."

"Puto," inquit Cornelia, "Caesarem illos captivos miseros occidisse omnes."

"Nullo modo," inquit Publius; "neque enim erat Caesar eius modi monstrum,—etsi Gallos ceterosque barbaros interdum summa severitate tractaverat. Hoc vero tempore, cum e castris dediti egressi essent, apud eos pauca de ipsorum ingrato animo locutus, Domitium reliquosque praefectos incolumes dimisit, milites autem suum in exercitum recepit."

“Eia!” inquit Cornelia. “Quis putaret Caesarem tam mitem fore?”

Et Sextus: “Pro tanta clementia, opinor, omnes ei gratiam maximam habuerunt.”

“Res longe aliter evenit,” inquit frater. “Milites quidem se satis fideliter gesserunt, sed Domitius et reliqui praefecti plerumque statim se contulerunt ad Caesaris inimicos, ut alibi in acie contra eum pugnare possent.”

“Rem quam turpem!” inquit Cornelia. “Sed quid interim Pompeius faciebat?”

“Ille recta Brundisium properavit,” inquit Publius. “Itaque Caesar, cum eo pervenisset, oppidum maximis operibus munitum offendit.

“Pompeius, navibus undique coactis, iam classem comparaverat haud mediocrem, sed non tantam ut omnes copiae eius in Graeciam simul traduci possent. Quare partem exercitus in naves imposuit, et nunc cupide expectabat dum classis rediret, ut reliquae quoque copiae traderentur.

“Interim omnibus modis Caesari resistebatur, qui iam in mare moles maximas iaciebat, quibus portu ocluso sperabat se Pompeium prohibere posse, quominus reliquum exercitum in Graeciam transportaret.

“Quae opera Caesar satis mature conficere non potuit; ac Pompeius, cum classis inanis e Graecia revertisset, alteram partem copiarum in naves imposuit et celeriter avectus est.”

“Quid tum Caesar?” inquit Cornelia. “Pompeiumne in Graeciam secutus est?”

“Id statim fieri non potuit,” inquit Publius; “nam Pompeius omnes naves undique coegerat. Quare Caesari aut novae instituendae aut aliae ex locis longinquiorebus conquirendae erant. Praeterea Italiam sine praesidio relinquere nolebat, quod in Hispania erant tres exercitus veterani, quos ducebant legati Pompeiani.

Itaque Romam reversus, cum ibi de pace parum proficeret, in Hispaniam profectus est; quam regionem brevi in potestatem

suam redegit. Tum demum, classe magna comparata, longo intervallo Pompeium in Graeciam sequi parabat.

“Sed iam, liberi, existimo me ius iurandum meum servasse. Ad tecta igitur redeamus, ut cognoscatur an Onesimus et Stasimus ad iter faciendum omnia parata habeant.” Quae cum dixisset, ad tecta profectus est; quo Sextus et Cornelia haud inviti subsecuti sunt.

Haud multo post Cornelius ex oppido revertit. Tum viatores, cum Crasso bono ‘vale’ dixissent, Appia via Tarentum versus profecti sunt; atque ante noctem iter viginti milium passuum confecerant.

## CAPUT XIII

Póstero die haud longe progressi erant a villa quo proxima nocte deverterant, cum subito rota soluta est. Quare Stasimus ad villam est remissus, ut inde opem peteret.

Interim omnes e redis descenderunt, et liberi per prata laeti ludebant, cum interim Drusilla et Anna cum Lucio sub arboribus prope viam sederent. Tum Cornelia: "Sine, sis, mater," inquit, "Annam nos comitari, dum paulo liberius vagamur. Nam prata undique floribus pulcherrimis referta sunt, quos carpere volo."

"Fiat," inquit Drusilla. "Sed cavete ne longius aberretis. Nam latrones hic vagari dicuntur; neque vos vi auferri volo. Interim ego hic in umbra cum Lucio morabor."

Sextus autem, qui flores minimi faciebat, circumspicere coepit, quo modo tempus commodius tereret, ac subito aspexit Onesimum, qui prope segetem consopitus humi iacebat supinus.

Quare furtim aggressus, repente magna vi lapidem in segetem iecit. Quo sono audito, Onesimus exsiluit et: "Quid factum est, Sexte?" inquit. "Stasimusne iam ex oppido rediit?"

"Brevi aderit," inquit Sextus. "Sed ego, cum forte te hic consopitum iacere aspexissem, anguem ingentem per segetem huc repentem vidi, cuius oculi sanguine et igni suffusi erant, linguaque vibrans ex ore emicuit. Lapidibus monstrum hinc deterrui. Profecto dis gratia maxima habenda est, quod ego tam opportune adfui."

"Anguis vestigium nullum invenio," inquit Onesimus, qui iam fusti segetem magna cum cura scrutabatur; "neque vero ego dormiebam, cum tu lapides iecisti. Oculos tantum condideram, quia clarior erat lux."

"Quò modo igitur accidit," inquit Sextus, "ut te tam quietum teneres?"



At ille: "Audiebam," inquit, "quid in segete aves loquerentur."

"Quid est hoc quod a te audio?" inquit Sextus. "Num aves loqui possunt?"

Et Onesimus: "Sic traditum est," inquit. "Id saltem quodam in libro legi."

Tum: "Oho," inquit Sextus. "Numquam suspicabar te quoque fabulas narrare posse. Dic mihi, sis, de avibus, quae loqui possunt."

"Olim," inquit Onesimus, "erat avis, quae in segetibus nidum suum habebat. Pulli nondum volare potuerunt; quare mater cotidie ibat cibum quaesitum. Quae cum abiret, semper pullos iubebat, si quid novi fieret, id animadvertere, ut sibi, cum redisset, nuntiarent.

"Diu nihil novi accidit; sed postremo dominus segetum ad locum accessit, ubi nidus latebat, et filio vocato: 'Videsne', inquit, 'frumentum iam esse maturum? Quare abi statim, amicosque nostros roga ut ad frumentum metendum nos cras adiuvent'. Haec ubi dixit, discessit.

"Matri, cum redisset, pulli perterriti omnia narraverunt, ac vehementer eam orabant ut statim tutum in locum deducerentur. Illa autem eos otioso animo esse iussit: 'nam', inquit, 'si amicorum operam dominus exspectat, nec cras frumentum metetur, neque hodie necesse est ut vos in alium locum deducam'.

"Postero die dominus mane in agris praesto erat. Sol fervet, it dies, amici autem nulli veniunt. Tum ille rursus filio: 'Abi', inquit; 'cognatos et adfines roga, ut cras prima luce ad metendum adsint'.

"Haec quoque matri pulli nuntiant; illa autem eos hortatur ut sine metu sint. Nec res eam fefellit; nam cognati et adfines nihilo alacrius ad metendum venerunt.

"Quare filio dominus iratus: 'Valeant', inquit, 'amici et propinqui. Tu autem cras prima luce falces duas deprome. Nos ipsi frumentum nostris manibus metemus'.

“Haec ubi ex pullis mater audivit: ‘Tempus est abundi’, inquit; ‘nam sine dubio id nunc fiet, quod ille dixit.’”

“Ista certe est fabula insolita,” inquit Sextus; “nec satis intellego, quo illa pertineat. Quid significat, obsecro?”

“Tribus verbis,” inquit Onesimus, “fabula haec docet: ‘Suam quisque rem optime curat’; nam neque amici nec cognati dominum segetum tanti faciebant, ut frumentum eius metere vellent. Sed nunc eamus; nam reda, ut videtur, paene refecta est.”

Quos cum appropinquantes animadverteret, Drusilla omnis in partes sollicita prospicere coepit, si forte videret Corneliam et Annam, quae iam diu aberant. Illae autem arboribus tum contactae sunt; sed brevi manibus plenis redierunt.

Drusilla, cum violas liliaque candida vidisset, ridens: “Metuebam,” inquit, “ne vos in eundem casum incidissetis, quo Proserpina ablata est.”

“Numquid mali ei accidit?” inquit Cornelia.

At Drusilla: “Matri eius saltem satis mali evenit. Nam olim, cum Proserpina, ut flores carperet, una cum puellis aliis per prata vagaretur sinumque complevisset, subito e terra emersit Pluto, rex inferorum, qui eam in currum suum sustulit.

“Illa perterrita primo comites matremque semel atque iterum vocavit. Sed frustra; nam deus in colla equorum, nomine quemque hortatus, habenas excussit, rapideque cum puella auctus est.

“Rem quam indignam!” inquit Cornelia. “Ad inferosne puella infelix descendere coacta est?”

“Ita vero,” inquit Drusilla; “nam etsi nympa Cyane raptoris currui obstare est conata, Pluto sceptro terram maxima vi percussit, ictuque viam in Tartara fecit, qua statim equi et currus e conspectu ablati sunt.

“Tum per orbem terrarum longe et late mater maestissima vagata est, neque usquam vestigium filiae amissae reperiebat, priusquam in fonte Cyanes zonam puellae forte animadvertit. Haud multo post a nympa Arethusa certior facta est filiam iam Plutonis uxorem esse et reginam inferorum.”

“Ego quidem,” inquit Cornelia, “isti puellae non invideo; nec montes aureos meream, ut in loca tam taetra ac terribilia descendam.”

Dum haec aguntur, omnia ad iter faciendum parata sunt. Celeritate iam erat opus; nam nox suberat, viaeque omnes latronibus infestae. Equi autem, morae impatientes, libenter redas ducebant; ac viatores, etsi mox tenebrae incedere coeperunt, poterant tamen longe et late prospicere; nam, ut est apud Horatium Flaccum:

Nox erat et caelo fulgebat luna sereno.

Sed omnes cura magna sunt levati, ubi denique moenia Tarentina viderunt et in urbem recepti sunt.

## CAPUT XIV

Multo mane Onesimus ad portum missus est, ut quaereret, num quae naves Syracusanae nuper eo appulsae essent; nam Cornelius litteras inde missas sperabat.

Sextus, cum haec mandata audiret, patri: "Mihi videor," inquit, "de Syracusis olim audivisse. Nonne est oppidum Siciliense?"

"Recte dicis," inquit pater. "Maxima est urbs, ubi tyrannus Dionysius multos annos regnavit. Ibi Archimedes quoque aetatem egit."

"Nondum de Archimede audivi," inquit Sextus. "Eratne ille bellator clarissimus?"

At pater: "Minime vero," inquit. "Sed artis geometricae et numerorum peritissimus erat; quin etiam vix aliud curabat. Cumque Syracusae a Romanis expugnarentur, adeo erat ille studiis suis intentus, ut fremitum et clamores militum dissonos non audiret, sed interim in terra lineas radio scriberet securus."

"Bene certe ei erat, qui ita mala belli oblivisci posset," inquit Sextus.

"Res autem haud feliciter evenit," inquit Cornelius. "Nam miles vagus, qui praedandi causa in aedes intraverat, stricto gladio eum interrogavit, quisnam esset. Ille autem nihil respondit, sed protecto manibus pulvere: 'Noli,' inquit, 'circulos meos turbare'. Quo audito, miles, cum se derideri putaret, Archimedem gladio percussit."

"Casum quam indignum!" inquit Sextus.

"Sic omnibus visum est," inquit pater; "et dux Romanus suis diligenter praeceperat, ne quis homini tam sollerti noceret, etsi ille machinis singulari subtilitate perfectis victoriae Romanorum multum obstiterat. Sed iam ego et Publius abituri sumus, ut theatrum inspiciamus. Visne tu nobiscum ire?"

"Maxime vero," inquit Sextus. "Quam mox proficissemur?"

“Publium iam diu exspecto,” inquit Cornelius; “atque opportune nunc accedit. Adde gradum, Publi; abire volo.”

“Invitus tibi in mora fui,” inquit Publius; “sed Stasimus iste scelestus coquum ludificabat, et paulum afuit quin serio inter se pugnarent. Abire nolui priusquam omnia componerentur.”

“Recte fecisti, mi fili,” inquit Cornelius, “atque te laudo. Sed nunc properandum est, ut hic adsimus, cum Onesimus e portu redibit.” Quae cum dicta essent, alacres profecti sunt.

Ad theatrum ubi perventum est, Publius et Sextus fundamenta maxima et spectaculorum amplitudinem satis mirari non potuerunt, et Sextus: “Vix motu terrae,” inquit, “molem tantam censeo commoveri posse.”

At pater: “Res certe ita se habet. Sed alibi interdum subsellia tam temere instituta sunt, ut magna cum clade spectatorum corrurerent. Velut Fidenis amphitheatrum ligneum instruxit quidam Atilius, qui neque fundamenta solida subdidit, neque firmis nexibus trabes coniunxit; cumque multitudo permixta eo confluxisset spectaculoque gladiatorum intenta esset, subito subsellia conecerunt; quo casu quinquaginta milia hominum aut vulnerata aut interfecta sunt.”

“Papae!” inquit Publius. “Proelium atrox vix plus mali intulisset.”

“Non sine causa hoc dicis,” inquit Cornelius. “Facies enim urbis totius mutata est, atque, ut antiquitus post proelia fieri solebat, sic tum domus civium nobilium patuerunt et fomenta ac medici passim praebiti sunt. Interim homines metu exsangues inter acervos cadaverum vesana mente uxores, liberos cognatosque quaerebant.”

At iam Sextus: “Quod, obsecro,” inquit, “est nomen illi muro, qui tam alte eminet?”

“Prosaenium vocatur,” inquit pater. “Cuius e fastigio Romae Nero imperator saepe ludos spectavit. Cumque pantomimi aemuli inter se pugnarent, ille signifer simul et spectator proelio aderat; atque ad manus ubi ventum erat lapidibusque et subselliorum fragminibus contendebant, tum et ipse multa

iaciebat in populum, atque olim etiam praetoris caput graviter vulneravit."

"Ludum lepidum!" inquit Sextus. "Vellem adfuissem, ut homines discurrentes viderem!"

"Immo rem foedam, mi fili, et imperio Romano indignam," inquit Cornelius.

"At," inquit Publius ridens, "imperator ille, nisi fallor, non numquam ea sparsit in populum, quae nemo invitus reciperet, etsi iniecta erant."

"Verum dicis," inquit Cornelius; "nam Ludis Maximis populo dona gratissima sparsit—aves cuiusque generis, vestes, gemmas, aliaque eius modi."

"Multi homines, credo," inquit Publius, "capita sua libenter praebeant vulneranda, dummodo aurum et gemmae pro telis sint."

"Ludos aliquos spectare pervelim," inquit Sextus. "Ne histriones quidem in scaena umquam vidi. Nonne spectacula lepida et iucunda sunt?"

"Interdum et ridicula," inquit pater. "Velut erat Fufius quidam, qui olim partes matris dormientis agebat. Brevi in scaenam processit umbra filii inhumati, qui matrem orabat ut corpus sepeliret. Sed Fufius, qui forte ebrius erat, iam re vera dormiebat; quare neque umbram audire poterat nec quidquam respondit. Quo animadverso, spectatores omnes una voce pro umbra vociferati sunt: 'Mater, te appello'."

"Hahahae!" inquit Sextus. "Hoc certe luculentum fuit."

"Sed," inquit Cornelius, "it dies. Abeamus igitur, si forte Onesimus iam e portu redeat."

Ubi ad deversorium ventum est, a Drusilla certiores facti sunt Onesimum nondum rediisse, et Cornelius: "Multae naves, ut opinor," inquit, "nuper huc appulsae sunt; et veri simile est Onesimum aliquanto diutius afuturum. Quare omnibus, ut cuique libet, se interim licet oblectare." Quae cum dicta essent, alii in aliam partem discesserunt omnes.

## CAPUT XV

Paulo post, cum iterum eodem convenissent, Publio Cornelius: "Modo dicebas," inquit, "Stasimum nostrum coquum ludificasse. Quid, obsecro, factum est?"

"Coquus," inquit Publius, "piscēs in aqua condiderat, ut eos refrigeraret. Stasimus autem, coquo inscio, pisces detraxit, et quosdam caneros vivos introduxit. Cumque coquus imprudens manus in aquam iniecisset, cancer subito eius digitum arripuit. Quo viso, Stasimus in cachinnos maximos effusus est, coquus autem ira percitus cultrum manu rapuit; ac vero paulum afuit quin hominem occideret. Sed ego opportune proelium diremi."

"Aliquando istum scelestum impudentiae suae paenitebit," inquit Cornelius. "Sed iam adest Onesimus. Quid novi, Onesime?"

"Per portum totum ambulavi navesque adii omnes," inquit Onesimus, "neque ullam invenire potui, quae nuper Syracusis soluta erat. Sed dicebant cras duas inde exspectari."

Tum Cornelius: "Etsi multo mane hinc abire in animo habui," inquit, "manendum est, censeo; nam iam diu est factum, cum litterae ullae Syracusis mihi adlatae sunt."

Itaque omnes, usque ad cenae tempus modis diversis se oblectaverunt. Cum autem mensae remotae essent, patri Sextus: "Modo maxime delectatus sum eis," inquit, "quae de imperatore Nerone dixisti. Nonne vis alia similia nunc nobis narrare?"

Ac pater: "Nero imperator puer arte musica imbutus est; cumque se satis exerceisse existimaret, in scaenam prodire cupiit, etsi non modo imperatori sed etiam senatori hoc indecorum habebatur. Et prodiit vero, Neapoli primum; ubi ne concusso quidem motu terrae theatro prius cantare destitit, quam omnia rite confecta sunt.

"Postea, cum magni aestimaret se ostentare etiam inter peregrinos, in Achaïam iter fecit; ubi musica certamina omnia

obiit. Comitati sunt eum principes civitatis, in quibus erat Vespasianus, is qui postea imperator factus est."

"Cum imperator Nero fuerit," inquit Cornelia, "credo eum optime omnium cantasse."

"Erras, filia mea, cum ita existimas," inquit Cornelius. "Coronae scilicet omnes ei delatae sunt. Sed vox eius parva erat et fusca, nec quisquam eam cum voluptate audiebat; atque etiam dicitur Vespasianus, qui perinvitus imperatorem comitabatur, saepe eo canente obdormivisse; unde offensam gravissimam contraxit.

"Quin etiam, cum canebat imperator, ne necessaria quidem causa cuiquam theatro excedere licuit. Quare, clausis portis, multi audiendi taedio furtim de muro desiluerunt aut morte simulata funere elati sunt."

"Vix credibilia haec videntur," inquit Drusilla. "Sed nonne sunt alia aequae miranda, quae de Caligula imperatore narrantur?"

"Sunt vero," inquit Cornelius. "Sed, Sexte, hoc primum mihi responde. Scisne unde imperator illud cognomen traxerit? Nam primo Gaius Caesar appellatus est."

"Cognomen Caligulae, credo, e 'caliga' ductum est," inquit Sextus; "nescio autem quo modo factum sit, ut imperatori inderetur."

Tum Cornelius: "Cognomen Caligulae e castrensi ioco ille traxit. Nam in paternis castris educatus est, eumque adhuc parvulum mater manipulari habitu induebat; et, ut scis, militibus gregariis calceamentum est caliga."

"Facile conicere possum," inquit Cornelia, "quanta fuerit festivitate puer, cum ita vestitus esset. Nonne milites eum maximo studio colebant?"

"Ita profecto," inquit pater; ac olim, cum inter Germanicas legiones seditio maxima coorta esset, ac mater tristis cum filio parvulo e castris in proximam civitatem abiret, quo munitiore loco puer haberetur, tum milites, subito ad paenitentiam versi, vehiculum manibus retinuerunt, deprecantes ne sibi tantam



invidiam imponeretur, ut ducis filius alibi quam in castris suis videretur tutior."

"Credo," inquit Cornelia, "illum saltem optimum fuisse imperatorem, qui puer tam amabilis fuisset."

At pater: "Haec opinio te multum fallit, filia mea. Nam postquam imperator factus est, multa ille commisit tam absurda et miranda, ut plerisque plane furiosus videretur.

"Velut cum, maximis copiis coactis, expeditionem in Britanniam simulasset, in litore Oceani milites instruxit ballistasque disposuit. Nemo quid tum acturus esset conicere poterat; at repente militibus imperavit ut conchas legerent galeasque complerent, cum gloriaretur haec esse 'spolia Oceani' et 'Capitolio debita'.

"Quin etiam in indicium huius 'victoriae' altissimam turrim extruxit, unde (ut fit Brundisii) noctu ad regendos navium cursus ignes emicarent."

"Papae!" inquit Sextus. "Me pudet tali imperatori populum Romanum umquam paruisse."

"De eius equo quoque quaedam dicenda sunt," inquit Cornelius. "Nam ludis circensibus maxime studebat imperator ac prasinæ factioni tam erat deditus, ut saepe in stabulo cenaret.

"Equo illi erat nomen 'Incitatus'; qui ne inquietaretur, pridie ludos viciniae silentium per milites imperator indicere solebat.

"Praeterea stabulum marmoreum aedificavit, equoque familiam et suppellectilem dedit, quo lautius eius nomine ad cenam invitati acciperentur." Et vero ei consulatum quoque tradere dicitur destinasse."

"Hui!" inquit Sextus. "Rubesco audiens. Spero illum hoc nihil peius commisisse."

"Pecuniae cupiditate maxime incensus," inquit pater, "cum immensos aureorum acervos congressisset, per eos nudis pedibus ambulare solebat, et non numquam toto corpore volutatus est."

At iam mater: "Duae horae sunt, cum Anna et Lucius discesserunt; et tempus est, liberi, vos quoque cubitum ire. Nam cras iter rursus est ingrediendum."

Cornelia autem: "Sine maneamus, sis," inquit, "dum pater aliquid amplius narret. Nam haec omnia libentissime audivimus."

"Unum modo addam," inquit Cornelius. "Tum vobis discedendum erit; nam ego rationes quasdam cum Onesimo conficere volo:

"Quaestus cuiuslibet avidus, Caligula reliquias omnium spectaculorum per praeconem vendidit; ac vero usque eo extendebat pretium, ut nonnulli, nugas immenso emere coacti, bonis suis exuerentur venasque sibi inciderent.

"Olim, cum auctio talis haberetur, quidam Aponius Saturninus in subselliis dormitavit. Quo animadverso, imperator praeconem monuit ne virum crebro capitis motu sibi nutantem praeteriret; nec licendi finis factus est, priusquam Aponio ignoranti tredecim gladiatores vilissimi sestertium nonagies addicti sunt."

"Hahahae!" inquit liberi, qui iam aequo animo cubitum ierunt.

## CAPUT XVI

Postero die multo mane Onesimus iterum ad portum profectus est, si forte navis Syracusana noctu appulsa esset. Liberi interim foris ambulabant, dum quaerunt, quo modo optime tempus tererent. Ac Sextus: "Publium legentem modo animadverti," inquit. "Adeamus. Fortasse ille hodie nobis aliquid narrare volet."

Quae cum dixisset, ad Publium accessit, et: "Quid legebas, frater?" inquit. "Nonne vis ea nobis narrare, quae tu modo legisti?"

"Libros Suetoni Tranquilli legebam," inquit Publius; "quibus admoneor de eis, quae pater nocte proxima dixit; nam ex his libris sumpta sunt multa quae tum audivistis."

"Plura audire volumus," inquit Cornelia. "De imperatore Nerone amplius legisti?"

"Multa vero," inquit Publius. "Ille, aequae ac Caligula equorum studiosus, ab ineunte aetate factioni prasiniae deditus erat. Quin etiam initio imperii eburneis quadrigis in abaco cotidie lusisse dicitur."

"Olim adhuc puer inter condiscipulos querebatur quendam agitatore[m] factionis prasiniae tractum esse; ob eamque causam cum a paedagogo obiurgatus esset, de Hectore se loqui audacter ementitus est."

"Ille igitur non modo crudelis sed etiam mendax fuit," inquit Cornelia.

"Crudelissimus profecto erat," inquit frater; "nam ne ludificare quidem sine alicuius damno aut periculo voluit. Prima nocte, galero capiti adaptato, per vias tabernasque vagabatur; cumque tabernas effractas expilavisset, cives e cena domum redeuntes verberare solebat, ac, si repugnaverant, vulnerare aut in cloacis mergere."

"Vah!" inquit Sextus. "Facinus imperatore Romano quam indignum! Cum autem propter galerum ignotus esset, vix intellego ex istis rixis quo modo incolumis evaserit."

At frater: "Oculorum vero atque etiam vitae pericula interdum adiit. Velut olim a quodam senatore paene ad mortem verberatus est, quod eius uxorem in via appellaverat."

"Euge!" inquit Cornelia. "Spero eum sic admonitum esse cives Romanos haud impune lacessi posse."

"Nullo modo," inquit Publius. "Sed postea vesperi numquam prodiit sine tribunis, qui occulte subsequebantur, ut praesto essent, si quod in periculum incidisset."

"Imperatorem tam pudendum odi," inquit Cornelia. "De eo satis audivimus. An alii, obsecro, se tam turpiter gesserunt?"

"De quibusdam," inquit frater, "similia narrantur. Sic dicitur imperator Otho, cum iuvenis esset, per vias noctu vagari solitus esse; ac si quis invalidus aut ebrius ei obviam venerat, hominem in sago impositum in sublime iactabat."

"Hahahae!" inquit Sextus. "Illud quidem aliquo modo excusari potest; nam credo homines sic raro laesos esse."

At frater: "Domitianus vero crudelitate prorsus gaudebat. Quin etiam traditum est eum cotidie totas horas in secreto egisse, cum interim nihil aliud ageret quam ut muscas captaret ac stilo transfigeret acuto. Olim, cum quidam rogasset, num quis cum imperatore intus esset, haud absurde responsum est: 'Ne musca quidem'."

"Quale monstrum hominis!" inquit Cornelia. "Talia perinvita audio. Desine, obsecro, plura eius modi dicere."

"Aliud unum est, quod dicere volo," inquit Publius. "Tum ibimus, ut sciamus num Onesimus iam redierit: De Domitiano illud quoque traditur: Non numquam puerum aliquem procul stare ac pro scopulo manum dexteram dispandere iubebat; tum per intervalla illius digitorum sagittas tanta sollertia dirigebat, ut omnes in scopulum inliderentur, pueri autem manus inlaesa maneret."

"Vah!" inquit Sextus. "Puerum istum haud felicem dico, etsi, ut narras, incolumis evasit. Sed nunc eamus."

Quo dicto, ad tecta reversi cognoverunt modo rediisse Onesimum, omniaque ad iter faciendum iam paene parata esse.

Mox viatores in redas escenderunt, brevique via strata per rura rapide progrediebantur. Sub noctem in vicum parvum

deverterunt, ubi cenati sine mora cubitum ierunt; nam iter longissimum adhuc erat faciendum.

Mane, cum celeriter gustavissent, redis per loca pratis rivisque amoena vecti sunt. Ac Publius patri: "Nonne haec est regio Italiae," inquit, "ubi Horatius Flaccus natus est?"

"Recte dicis," inquit Cornelius; "nam eius patria erat oppidum Venusia, quo spero nos cras perventuros."

"Rura, ut opinor," inquit Publius, "ille semper amabat. Ego quidem libenter mecum saepe meditor quosdam eius versus, qui mihi iucundissimi videntur:

Beatus ille qui procul negotiis,  
 Ut prisca gens mortalium,  
 Paterna rura bobus exercet suis,  
 Solutus omni faenore.  
 Libet iacere modo sub antiqua ilice  
 Modo in tenaci gramine;  
 Labuntur altis interim ripis aquae,  
 Queruntur in silvis aves,  
 Frondesque lymphis obstrepunt manantibus,  
 Somnos quod invitet levis."

"Lepidissimi profecto sunt hi versus," inquit Cornelius. "Sed umquam audivistis quid poetae ipsi acciderit, cum adhuc parvulus in silvis solus obdormiret?"

"Hoc ego quidem non audivi," inquit Cornelia. "Narra, sis, pater."

"Olim," inquit ille, "puerum amabilem, cum ludo somnoque fatigatus humi in silvis sopitus iaceret, columbae foliis ex arboribus decerptis texerunt, ne quid mali ei dormienti accideret."

"Rem quam bellam!" inquit Cornelia. "Spero nos quoque columbas visuros, cum iter per eam regionem faciemus."

Sic horas longas sermonibus variis terebant; cumque sub noctem ab amico quodam hospitio accepti essent, postero die post cenae tempus Venusiam laeti pervenerunt. Ubi statim se contulerunt ad cauponem; nam Stasimus cito equo praemissus erat quaesitum quo commodissime devertere possent.

## CAPUT XVII

Mane abire animo intenderant; cum autem gustassent, Anna maesta nuntiavit Lucium tam adsidue flere, ut plane morbo laborare videretur. Quo audito, Drusilla: "Heu," inquit; "semper metuebam ne quid mali illi parvulo misero accideret, cum tam raptim terra marique iter faceremus. Quid nunc faciendum est?"

Interim accesserat caupo avarus; qui, ubi haec audivit, cum hospites tam opulentos quam diutissime apud se retinere vellet: "Etiam di significare videntur," inquit, "hodie vobis non abeundum esse. Nam modo in via aliquem ficos vendentem audivi, qui identidem 'cauneas' clamaret."

"Quo modo istud ad rem pertinet?" inquit Cornelius.

"Omen manifestum est," inquit caupo. "Nam etsi homo haud distincte pronuntiabat, idem fit quasi 'cave ne eas' dixisset. Melius erit igitur, si hinc hodie non proficiscemini."

"Istius modi res minimi facio," inquit Cornelius; "et properamus."

At Drusilla: "Paulisper, obsecro, hic moremur. Medicum saltem abhiberi volo, priusquam abeamus."

"Fiat," inquit Cornelius. Tum cauponi: "Medicus statim accessatur; et cura ut optimus ille sit."

"Licet," inquit caupo; "nam haud procul habitat medicus, quo melior etiam Romae vix inveniri potest."

"Bene hercle nuntias," inquit Cornelius. "Perge modo."

Interim Anna ad Lucium redierat, ac ceteri, morae impatientes, in triclinio sedebant medicum exspectantes, qui brevi advenit. Et Cornelius: "Salve, medice," inquit, "Filius meus parvulus minus bene se habet. Romam iter facimus. Celeriter eum sanari volo."

"Id quidem perfacile est," inquit medicus. "Omnia ego facere possum. Modo crus fractum Aesculapio obligavi, et brachium Apollini. Quin etiam mortuos ex inferis excitare soleo."

At Cornelius: "Credo. Sed nunc expone quid nobis faciendum sit."

Dum haec fiunt, Anna arcessita adiit, in gremio Lucium fovens. Quo viso, medicus: "Fac ut eius pedes appareant," inquit. Quos cum pertractasset, "Aqua gelida," inquit, "pedes lavato."

"Te obsecro, medice," inquit Drusilla. "Febris modo in eum incidit. Male metuo ne gravedo sequatur, si aqua gelida pedes perfusi erunt."

"Sic faciendum est," inquit medicus, "si filium sospitem optas. Ac interim fac ut hoc medicamentum tertia quaque hora abunde hauriat."

Quae cum diceret, ex amphora medicamentum atrum, pici simile, in pateram effundebat. "Haec omnia," inquit, "si ad praescriptum fient, cras puer aut sanatus aut mortuus erit. Tum redibo. Iam valete." Quo dicto, domum se recepit.

Tum Cornelius iratus cauponi: "Quid vis, scelesti?" inquit. "Audesne hominem tam stultum et ineptum pro medico arcessere? Credisne me hoc veneno meum filium interempturum esse?" Quae cum dixisset, medicamentum per fenestram apertam abiecit, Annamque iussit Lucium abducere, si forte quieto somno ei melius foret.

Caupo vultu maesto discessit, etsi vero gaudebat hospites abire nondum audere. Cum illi intus solliciti exspectarent, subito per fenestras apertas audita est vox Stasimi, qui in area institori vago occurrerat. Inter quos altercatio eius modi orta est:

*Stasimus.* Quis tu es homo, qui tam audacter has aedes adis?

*Inst.* Multas merces lepidas et mirandas ego hic in sacco fero. Civem nobilem huc heri advenisse audio. Esne tu eius servus?

*Stasimus.* Ita vero. Cuius tu servus es?

*Inst.* Apage te, nugator. Menè pro servo habere audes? Quin ego regibus antiquis ortus sum.

*Stasimus.* Facile credo te ortum rege—furum.

*Inst.* Quid ais, furcifer? Mene furem esse insimulas?

*Stasimus.* Haud insimulo, quod certo scio.

*Inst.* Cave malum. Huius modi verba a servis ego nullo modo audire soleo.

*Stasimus.* At verbera sentire soles, cum dominus te pendentem paene ad necem caedit.

*Inst.* Aisne, carnifex? Hosne pugnos vides? Te in soporem longissimum collocabunt, nisi tibi caves.

*Stasimus.* Amice polliceris; nam has noctes tres pervigilavi, atque aliquem quaero, qui faciat ut dormiam.

*Inst.* Verbum adde unum, mastigia, et te ad terram colaphis adfligam.

*Stasimus.* Tange modo, custos carceris. Oculos tibi ecofiam, si propius accesseris. Visne pugnare?

*Inst.* Cauponem foras evocabo. Heus, caupo, exi et istum nugatorem hinc abige.

*Stasimus.* Abi, dormitator. Fue! alium oles. Te amove; discede in maximam malam crucem!

Tum autem ex aedibus celeriter progressus Publius: "Quid fit, Stasime?" inquit. "Nonne scis Lucium dormire, et omnia hic tranquilla esse oportere? Quid audes tantas turbas concitare?"

"Hoc omnino oblitus sum," inquit Stasimus, "propter hunc scelestum, qui modo parentes suos interfecit domumque compilavit, atque huc quoque furatum venire ausus est. Abi, nugator, discede."

At Publius: "Tace, inquam. Si hodie clamorem iterum tolles, maximo malo tuo id facies."

Tum institor Publico: "Te oro, adulescens," inquit, "ut mihi liceat merces meas mulieribus ostendere. Certo scio, eas si semel aspexerint, multa emere paratas fore."

"Mater mea iam haud occupata est," inquit Publius. "Quare me sequere, ac merces ostende. Tu interim, Stasime, intempe-



tivas facetias tuas alia in loca aufer." Quo dicto, aedes intravit, ubi Drusilla et Cornelia libentissime inspexerunt res mirandas, quas institor e sacco suo promebat.

Vix erat ille dimissus, cum Anna nuntiavit Lucium placide quievisse, ac ei iam multo melius esse. Quod cum cognitum esset, omnes gaudebant; ac Cornelius Onesimum statim misit, ut cauponem vocaret.

Iste scilicet haud libenter audivit Lucio melius factum esse. Sed rationem conficere coactus est; ac paulo post, pecunia soluta, viatores iterum in redibus sedebant, atque equi alacres via strata vehicula celeriter rapuerunt.

## CAPUT XVIII

Iam per montes via ferebat, ac redae tardius progrediebantur. Quo factum est ut solis occasu viatores nondum Trivicum pervenirent, ubi eam noctem morari constituerant.

Caelum tamen erat serenum, lunaque lucem modicam praebebat; et equi fessi, quasi praesentirent pabulum haud procul abesse, ipsi gradum acceleraverunt. Sic secunda hora noctis in vicum perventum est.

Cum omnes cenati sederent otiosi, "Animadvertistisne," inquit Publius, "dum vico appropinquamus, quandam domum magnam, a via haud procul collocatam, cuius pars ruina concidisse videbatur?"

"Ego vidi," inquit Cornelia; "et nocte obscura terribilis erat eius facies. Nulla condicione mihi persuaderi possit ut ibi noctu vager."

"Quid times?" inquit Sextus. "Ego quidem ubique vel interdiu vel noctu perlibenter vagari soleo. Ne umbras quidem mortuorum timeo, quae noctu prope aedas desertas volitare dicuntur."

"Ah, noli de monstris talibus dicere," inquit Cornelia horrescens. Tum patri: "Re vera, obsecro, imaginesne mortuorum per tenebras volitant et a mortalibus aspici possunt?"

"Tranquillo es animo," inquit Cornelius. "Imagines mortuorum puellis bene moratis nihil nocere possunt; nec talia umquam a bonis liberis aspiciuntur."

At Publius: "His de rebus multa modo legi in epistula Plini minoris; ac quaedam ibi tradita mihi quidem maxime miranda videbantur."

Tum Sextus cupide: "Quid dixit?" inquit. "Audire pervelim."

"Olim," inquit Publius, "Athenis erat domus splendida, sed infamis; dicebant enim noctu intus audiri strepitus vinculorum, longius primo, deinde e proximo. Tum apparebat umbra horrida, senex squalore confectus, promisso capillo et barba sordida. Cruribus compedes, manibus vincula gerebat et quatiebat."

“Vah!” inquit Cornelia. “Cur tu res tam diras legis?” atque ad matrem propius accessit.

“Homines miseri,” inquit Publius, “qui ibi habitabant, tristes et inquietas noctes metu agebant maximo, cum dormire nullo modo possent. Vigiliam morbus sequebatur, tum morbum mors. Nam etiam interdiu, quamquam dicessero umbra, imaginis memoria tamen eorum mentes semper sollicitabat.

“Postremo nemo omnino reperiri poterat, qui his in aedibus habitare vellet, donec quidam philosophus, nomine Athenodorus, titulum legit. Qui, pretio audito, causam vilitatis diligenter quaesivit. Quam cum cognovisset, tanto magis aedes conducere cupiebat.”

“Ille certe insanus fuit,” inquit Cornelia, quae prae timore vix se continere poterat quin dentibus crepitaret.

“Nullo modo,” inquit Publius. “Philosophus erat, ut dixi, atque eius modi res summo studio semper exquirebat.

“Aedibus conductis, cum advesperascere coepisset, ceras stilum lumenque poposcit animumque ad scribendum intendit. Primo ubique erat silentium noctis; deinde procul vincula concuti coepta sunt.

“Ille tamen nec sustulit oculos nec stilum remisit. At iam in limine, iam intra limen sonus auditus est. Tum aspexit, ac statim agnovit umbram narratam, quae prope stabat ac significabat manu, quasi eum sequi vellet. Qui lumine sublato sine mora secutus est.

“Leniter ibat imago, quasi vinculis gravis; cum autem in aream pervenisset, subito e conspectu comitis evasit. Ille vero ibidem herbas foliaque collecta posuit, quo facilius postero die locus reperiri posset.

“Mane ad magistratus adiit, qui humum effodi iusserunt. Inventa sunt ossa nuda, catenis vineta. Quae publice sepulta sunt, et postea haec domus umbris caruit, quod corpus iam rite conditum erat.”

Hac fabula Cornelia tantopere commota est, ut ei nullo modo persuaderi posset, ut cubitum iret. Et mater, “Agite, liberi,” inquit, “abite iam, ut cum Onesimo paulisper loquamini. Fortasse ille aliquid vobis narrabit.”

Liberi igitur in conclave propinquum abierunt, ubi Onesimus, rationibus omnibus confectis, solus sedebat. Qui statim: "Quid nunc, liberi?" inquit. "Cur nondum cubitum istis? Multo mane nobis hinc proficiscendum est."

Tum Cornelia: "Publius noster res tam terribiles narravit, ut dubitem an hac nocte ego umquam quiescere possim. Nonne tu nobis aliquid iucundius narrabis?"

"Nihil iam recordari possum," inquit Onesimus, "nisi fabulam de muribus duobus. Eamne vos umquam audivistis?"

"Numquam, quod sciam," inquit Sextus. "Nobis narra, sis."

"Ut memoriae traditum est," inquit Onesimus, "olim mus rusticus paupere in cavo suo urbanum amicam hospitio accepit. Mensam omnibus rebus, quas optimas habebat, studiose exstruebat; sed superbo dente hospes singula vix tetigit, ac postremo: 'Cur, obsecro,' inquit, 'ruri misere vivere mavis? In urbe multo melius vivitur. Nonne igitur mecum domum proficisci vis, ut ibi demum vitam mure dignam noscas?'"

"His et talibus muro rustico persuasum est ut, domo relicta, cum amico ad urbem pergeret. Quo cum perventum esset, noctu ambo repererunt sub moenia, ac brevi in aedibus cuiusdam hominis locupletis vestigia posuerunt. Intus erant lecti purpureis aulaeis strati mensaeque reliquiis cenae abundantissimae adhuc repletae.

"Mus rusticus, in lecto splendido recumbens, avide gustabat omnia, quae alter benigne adferebat, cum subito forum ingenti strepitu e lecto ambo excussi sunt, ac perterriti omnes in partes discurrerunt, exitum dementer quaerentes, cum interim domus canum latratu resonaret.

"Tum amico ille rusticus: 'Tu tibi haec omnia habe', inquit. 'In silvam ego redeo, ubi ab insidiis tutus reliquam vitam meam quietam mente agam. Tu vale'. Quo dicto, per fenestram evasit, ac celeriter ex urbe in silvam suam perrexit."

"Gratias maximas tibi agimus," inquit Cornelia. "Haec fabula mihi maxime placet. Sed iam est abundum." Quae cum dixisset, cum Sexto discessit, brevique somno artissimo ambo consopiti sunt.

## CAPUT XIX

Postero die viatores, ubi gustaverunt, iter leniter faciebant, cum pater Sexto: "Qua de re Onesimus vobiscum locutus est," inquit, "cum nocte proxima ad eum abistis?"

"De duobus muribus dixit," inquit Sextus. "Mus rusticus, qui ab altero ad urbem invitatus erat, ut ibi molliter viveret, amicum in domum hominis locupletis secutus est. Cum autem mures cenae sumptuosae reliquiis ibi se oblectarent, subito cum canibus intravit aedium dominus. Tum metu paene exanimatus mus rusticus per fenestram evasit, ac libentissime rus ad victum tenuem interum se recepit."

"Ei, ut videtur, accidit idem, quod Damocli factum est," inquit Publius.

At Sextus: "Quis, obsecro, fuit iste Damocles? Hoc nomen antea numquam audivi."

"Tyranni Dionysi adsentator erat," inquit Publius; "atque olim, cum illius copias, opes, maiestatem rerumque abundantiam in sermone commemorasset, ac negaret umquam beatiorem quemquam fuisse, tum ei Dionysius: 'Visne igitur', inquit, 'quoniam te haec vita delectat, meam fortunam ipse experiri?'"

"Ubi Damocles se cupere dixit, tyrannus hominem in lecto splendido collocari iussit, mensamque argento auroque caelato ornavit. Deinde pueris eximia forma imperavit ut adessent, et Damocli studiose ministrarent. Aderant unguenta, coronae, incendebantur odores, mensaeque epulis luculentis exstruebantur.

"Damocles iam scilicet sibi fortunatus visus est. Sed subito tyrannus iussit gladium fulgentem saeta equina aptum e lacunari ita demitti, ut capiti Damoclis impenderet. Quare ille miser non diutius pueros aspiciebat pulchros, nec manum in mensam porrigebat. Postremo vero tyrannum enixe oravit ut sibi abire liceret, quod iam 'beatus' esse nollet."

“Hahahae!” inquit Sextus. “Homo salsus profecto erat ille tyrannus. De eo plura audire cupio.”

“Alia de eo commemorata,” inquit Cornelius, “nullo modo aequae iucunda sunt. Cum enim metueret ne quis clam se adoriretur, vitam suam cura maxima custodiebat; quam ob rem causa incognita morte multavit omnes, quos vivere sibi periculosum esse putaret.”

“Quam crudeliter factum!” inquit Cornelia. “Ille mihi videtur dignus qui comparetur cum isto Nerone; de quo nuper audivimus.”

“Ei cum Nerone alia fuit similitudo,” inquit pater. “Nam non modo erat crudelissimus, sed etiam se poetam eximium esse existimabat; quare tragoedias suas in Achaiam mittebat, cum certamina ibi habebantur. Et ei, quamquam versus eius pessimi erant, olim corona delata est.”

“Pro certone compertum est,” inquit Sextus, “eius scripta tam absurda fuisse?”

Ac Cornelius: “Sine dubio pessima fuerunt. Saepe enim domi quoque carmina sua recitabat; cumque adsentatores omnes in plausus maximos se effundebant, poeta Philoxenus, qui illis temporibus apud eum morabatur, semper sedebat tacitus, aut etiam in cachinnos erumpebat. Quem igitur tyrannus iratus postremo in lautumias abduci iussit.

“Sed nihilominus verus iudex erat poeta. Nam e lautumiis demum reductus, cum versus novos tyranni audire cogeretur, sua sponte surrexit et recedebat. Hoc animadverso, Dionysius: ‘Quo abis, Philoxene?’ At ille: ‘Ad lautumias redeo’, inquit.

“Ille vero poeta,” inquit Publius, “homo erat non modo salsus, sed etiam audax.”

At Cornelius: “Aequae praeclarum est responsum philosophi Diogenis. Cui holera lavanti cum dixisset Aristippus: ‘Si Dionysio adsentari velles, ista non ederes’, ille: ‘Immo’, inquit, ‘si tu ista edere velles, Dionysio te adsentari non opus esset.’”

“Verba philosopho digna!” inquit Publius. “Sed quae sunt istae lautumiae, de quibus tu modo mentionem fecisti?”

Tum Cornelius: "Cavernae sunt ingentes, ex rupibus cavaetae, quibus pro carcere tyrannus utebatur." (Etiam hodie una ex illis lautumiis 'Dionysi auris' appellatur, quod memoriae traditum est eam ita formatam esse, ut resonando voces omnes unum in locum adferrentur; ibique consistentem Dionysium solitum esse clam ea audire, quae miseri intus inclusi de ipso incauti loquerentur).

"Mihi mirandum videtur," inquit Publius, "eius cives tot annos crudelitatem tantam perpeti potuisse. Sed de eo iam satis dictum est; mihi Hannibalis calliditas magis placet. Nonne his in regionibus dux ille olim eum Romanis manum conseruit?"

"Ita vero," inquit pater. "Nam haud procul hinc facta est pugna illa Cannensis, inter paucas clades populi Romani memorabilis. Hoc proelio nostri circiter quiquaginta milia perierunt, ac paulum afuit quin illa dies finem bello adferret."

"Plura narra, sis," inquit Sextus. "De proeliis semper perlibenter audio, maxime eum Hannibal hostes ducit."

"Alternis diebus," inquit pater, "imperitabant consules, quorum alter statim decertare volebat, alteri vero bellum produci melius videbatur. Olim, cum apud consulem Varronem imperium esset, ad manum cum Poenis conserendam exercitus eductus est.

"Quare Paulus, consul alter, quamquam diversa suaserat, tamen in castris morari tanto in discrimine rerum nolebat, ac perinvitus secutus est; qui, primo statim proelio funda graviter vulneratus, suo cornu tamen hostibus diu fortissime resistebat.

"Postremo autem Romanos, quos ardor pugnandi incautos longius provexerat, equites hostium subito a tergo adorti sunt. Hinc erat initium fugae, ac Cn. Lentulus, tribunus militum, cum Paulum sanguine respersum in saxo sedentem vidisset, ei equum suum tradere volebat; at ille: 'Abi', inquit, 'et senatui nuntia ut urbem muniat. Ego satis vixi; hic mori certum est.'

"Hannibal fortasse, si accelerare voluisset, urbem ipsam occupare potuit; atque, ut id conaretur, Marharbal vehementer

suasit. Sed Hannibal, hac tanta victoria elatus, deliberandi tempus exemit. Quare Maharbal: 'Vincere scis, Hannibal', inquit; 'victoria uti nescis'."

At iam Drusilla: "Ego et Cornelia," inquit, "carmina proeliis praeponimus. Nonne versus ullos recordari potes, Publi?"

"Cum nuper de Damocle loqueremur," inquit ille, "mihi in mentem venit verborum Horati Flacci:

Destructus ensis cui super impio  
Cervice pendet, non Siculae dapes  
Dulcem elaborabunt saporem  
Non avium citheraeque cantus  
Somnum reducent."

Dum hoc modo inter se loquuntur, dies abiit; ac paulo ante solis occasum libenter oppidum Beneventum haud procul aspexerunt.



## CAPUT XX

Mane aliquantum morae factum est, quod unus ex equis claudus esse videbatur, aliusque quaerendus erat. Interim Cornelius cum filiis per oppidum vagabatur, ut omnia perspicerent.

Tum Publius: "Nonne hic quoque," inquit, "pugna memorabilis commissa est?"

"Recte quaeris," inquit pater; "nam ad hanc urbem Manius Curius regis Pyrrhi copias ingentes strage fugavit maxima, Italiamque servitutis metu liberavit."

"Quis erat ille rex demens," inquit Sextus, "qui sperabat vires populi Romani refringi posse? Aut quis nisi homo rudis et plane barbarus spei tam stultae indulgeat? Ne Hannibal quidem tantum efficere potuit."

At pater: "Pyrrhus multis ante annis fuit quam Hannibal; atque ille nec rudis nec barbarus erat: immo vero humanitate ac comitate plane erat dignus, qui cum nostris imperatoribus maximis compararetur. Eum, etsi hostis erat, summo in honore habebant maiores nostri."

"Mihi recordari videor," inquit Publius, "nescio quem conatum esse hunc regem veneno intercipere. Sed certo scio nostros numquam tanto scelere se contaminavisse."

"Romanis non est mos veneno bella gerere," inquit Cornelius. "Sed quidam Timochares, regis ipsius familiaris, olim ad C. Fabricium consulem venit ac pollicitus est se regem, si praemium satis magnum proponeretur, veneno brevi sublaturum; quod facile factu fore dixit, quoniam filius suus in convivio procula regi ministraret."

"Hac re Romam ad senatum delata, legati statim missi sunt, qui regem certiozem facerent quanto in periculo versaretur, eumque hortarentur ut insidias caveret domesticas. Sic conservatus, Pyrrhus gratiam maximam populo Romano habuisse traditur, omnesque captivos, quos tum habebat, sine mercede ultro reddidisse."

“Apud Livium, nisi fallor, aliud est huic simile,” inquit Publius.

“Audiamus,” inquit Sextus.

Tum Publius: “Cum Camillus Faliscis bellum inferret, quidam paedagogus, cui principes Faliscorum custodiam filiorum suorum commiserant, pueros extra urbem exercendi causa cotidie producere solebat. At olim, occasione data, eos subito in castra Romana deduxit.

“Scilicet putabat homo se a Camillo gratiam maximam initurum, quod hostium liberos ita ei in manum tradidisset. At ille imperator optimus, ira incensus, paedagogum perfidum acerbissimis verbis accepit; tum eum denudatum, manibus post tergum illigatis, pueris permisit, ut virgis per vias domum agerent.

“Falisci, re nova permoti, non diutius cum hoste tam generoso certare volebant. Quare, legatis missis, se suaque omnia Romanis dederunt. Sic ad finem bellum adductum est.”

“Ut autem ad Pyrrhum redeat sermo noster,” inquit Cornelius, “traditum est eum quondam audivisse Tarentinos quosdam in convivio sibi male dixisse. Convivas igitur ad se accessitos rogavit num ea, quae ad aures ipsius pervenerant, vera essent. Tum ex his unus: ‘Nisi vinum defecisset’, inquit, ‘multo maiora et peiora dixissemus’. Quo responso ira regis in risum conversa est.”

“Nuper,” inquit Publius, “aliud responsum aequae ingeniosum legebam: Cum Syracusis omnes exitum tyranni Dionysii optarent, una anus sola cotidie deos precabatur ut ille incolumis ac sibi superstes esset. Quod cum Dionysius cognovisset, anum accessivit causamque huius tantae benevolentiae rogavit.

“Tum illa: ‘Multos abhinc annos, cum gravem tyrannum haberemus, carere eo cupiebam. Quo interfecto, aliquanto crudelior arcem occupavit. Illo quoque occiso, etiam superioribus peiorem habebamus rectorem. Nunc metuo ne, si tu mortem obeas, etiam deterior in locum tuum succedat.’”

“Hahahae!” inquit Sextus. “Haec mulier, ut opinor, illud proverbium vetus audierat: ‘Nota mala res optima est’. Spero eam quoque incolumem evasisse.”

“Incolumis evasit,” inquit Publius, “quod tyrannum puduit tam facetam audaciam punire.” Tum patri: “Sed de rege Pyrrho aliud est, quod rogare velim. Nonne is primus elephantos in Italiam traduxit?”

“Vera dicis,” inquit pater. “Atque in proeliis nonnullis illi multum profuerunt; nam novitate et magnitudine sua bestiae immanes nostris summum terrorem inferebant. In Lucania primum visae sunt; quam ob rem, cum earum genus ignotum esset, vulgo ‘boves Lucae’ appellabantur.”

“Civesne Romani,” inquit Sextus, “umquam monstra talia in hostes immiserunt?”

“Interdum,” inquit Cornelius, “id factum est. Nostri autem numquam elephantos tanti fecerunt, quanti gentes exterarum. Sed Publius commentarium de Bello Africo certe tractavit, et hic fortasse nobis narrabit quid ibi de his beluis scriptum sit.”

Hoc audito, Publius haud invitus: “Caesar, cum in Africam transisset,” inquit, “cognovit multos elephantos a sociis Pompeianorum comparatos esse.

“Quarum beluarum quoniam magnitudo ac multitudo animos militum in terrore detinebant, elephantos alios ex Italia transportari iussit, quo facilius sui cognoscerent, cui parti corporis bestiae telum adigi posset.

“Nam corium elephantorum durissimum est, atque in proelio loricas ornatumque alium gestant. Praeterea volebat Caesar iumenta sua stridori atque odori beluarum assuefacere.”

“Quid?” inquit Sextus. “Equine quoque bestias illas timebant?”

“Maxime vero,” inquit frater; “nam equi timere solent paene omnis generis feras, quas quidem numquam antea viderint.

“Caesari autem iam omnia prospere cesserunt. Nam milites etiam manibus bestias tractabant earumque cognoscebant tarditatem; equites vero in eas pila praepilata coniciebant et equos suos ita assuefecerunt, ut non diutius aut odore aut stridore beluarum terrentur.”

“Sollertia et diligentia Caesaris summa laude dignae sunt,” inquit Cornelius. “Semper maximis in difficultatibus versabatur, semper autem victor evasit.”

Sed iam Stasimus adeurrit, qui nuntiaret equum alium repertum atque omnia ad iter faciendum parata esse. Quare Cornelius et filii statim cum eo ad deversorium redierunt, brevique viatores Romam versus celeriter progrediebantur.

## CAPUT XXI

Cum paulisper taciti Appia via veeti essent, Sexto Cornelia: "Quid, obsecro, vidisti," inquit, "dum per oppidum ambulas?"

"Nihil mirandum vidimus," inquit Sextus. "Sed quaedam audivi de rege Pyrrho et elephantis, quos ille primus in Italiam traduxit."

At Cornelia: "Vellem ego quoque tum adfuissem. Nam de omnis generis feris libentissime audio."

"De elephantis," inquit Publius, "non omnia tum commemorata sunt. Olim fabulam legi, quae fortasse vobis iucunda videbitur:

"In proelio, quod ad Thapsum commissum est, virtus cuiusdam militis legionis quintae maxime enituit. Nam cum in sinistro cornu elephantus vulneratus et dolore incitatus in lixam inermem impetum fecisset hominemque sub pede premeret et necaret, miles ille sustinere non potuit quin se armatum bestiae offerret.

"Quem postquam elephantus ad se telo infesto venire animadvertit, lixa relicto, militem circumdedit proboscide, atque in sublime sustulit. Ille interim constanter se gessit, ac proboscidem, quantum viribus poterat, gladio caedebat; nec finis fuit, priusquam elephantus, dolore adductus, abiecto milite, maximo cum stridore ad reliquas bestias se recepit."

"Miles ille," inquit Sextus, "profecto fortissimus erat, qui tanto periculo se committeret. Nam vires multitudinis hominum vix cum robore unius elephanti sunt comparandae."

"Res ita se habet," inquit Cornelius; "atqui interdum elephanti a militibus singulis occisi sunt. Velut dicitur Hannibal, cum captivos Romanos quondam inter se dimicare coegisset, unum, qui supererat, elephanti obiecissee, libertatem homini pollicitus, si bestiam occidisset.

"Romanus solus in arenam progressus, magno Poenorum dolore elephantum confecit, ac liberatus est. Sed Hannibal,

ut apud Plinium est, bestias fama huius dimicationis in contemptum Romanis venturas esse ratus, equites misit, qui victorem abeuntem sequerentur atque occiderent."

"Mihi vix credibile videtur," inquit Publius, "Hannibalem ita fidem fallere voluisse; nam ego eum, etsi Poenus erat, hostem generosum fuisse semper putavi."

At Cornelius: "Fortasse id, quod modo dixi, falso traditum est." Tum ad Sextum et Corneliam conversus: "Vosne liberi scitis, quo modo Hannibal elephantos suos flumen Rhodanum traduxerit?"

"Nescimus," inquit Cornelia. "Nonne vis hoc quoque nobis narrare?"

Tum pater: "Sunt qui tradant elephantos nando ad alteram ripam transisse; sed magis constat ratibus eos transvectos esse.

"Milites ratem pedes ducentos longam in flumen porrectam terra iniecta ita constraverunt, ut pontis speciem haberet; tum altera ratis centum pedum, ad transeundum apta, huic copulata est. Elephanti primi, per stabilem ratem tamquam per pontem acti, in minorem sine timore progressi sunt.

"Tum subito vincula sunt soluta, ac ratis minor aliquot navibus actuariis celeriter ad ripam alteram rapiebatur. Ibi primis expositis, elephantii alii deinde repetiti sunt et traducti.

"Nihil sane timebant bestiae, dum velut per continentem pontem agebantur. Cum ratis minor ab altera solveretur, tum primus erat terror; atque, extremis ab aqua cedentibus, trepidationis tantum edebant, ut in flumen exciderent quidam. Hi autem, pondere suo stabiles, vada pedibus quaerebant ac postremo incolumes in ripam ulteriorem evaserunt."

"Verumne est," inquit Publius, "elephantos mures aut odisse aut timere?"

"Ita vero," inquit Cornelius. "In India autem et Africa sunt monstra, quae non sine causa ab eis metuuntur; nam ibi nascuntur dracones tantae magnitudinis, ut facile elephantos orbibus suis obligent. Interdum et elephante et draco simul pereunt, cum elephante corruens pondere suo draconem elidat."

"Vah!" inquit Cornelia. "Rem auditu quam foedam!"

At Publius: "Ego quidem mihi videor recordari a quibusdam pro certo scriptum esse serpentes in India tantam ad magnitudinem pervenire, ut solidos hauriant cervos taurosque. Atque omnibus notum est bello primo Punico ad flumen Bagradam a Regulo imperatore serpentem centum viginti pedes longam ballistis expugnatam esse."

"Desine, obsecro," inquit Cornelia. "Si talia narraturus es, ego hac in reda non diutius morabor."

"Quieto es animo," inquit frater; "nam finem iam feci." Tum Cornelio: "Quod ad oppidum, pater, iam tendimus?"

Ac Cornelius: "Caudium brevi adibimus; et spero hodie nos etiam Capuam usque iter facere posse."

"Nonne Samnites," inquit Publius, "cladem maximam in his regionibus populo Romano olim intulerunt?"

"Recte quaeris," inquit Cornelius; "nam haud longe absunt Furculae Caudinae, ubi exercitus Romanus sub iugum ire coactus est."

"Quid est quod a te audio?" inquit Sextus. "An nostri milites umquam tanta ignominia affecti sunt?"

"Vellem id vere negari posse," inquit pater. "Sed confitendum est non tum solum tale dedecus admissum esse. Velut apud Horatium Flaccum, ille Regulus, de quo modo audivistis, cum ex Africa demum revertisset:

'Signa ego Punicis

Adfixa delubris et arma

Militibus sine caede', dixit,

'Erepta vidi; vidi ego civium

Retorta tergo brachia libero'."

"Haec certe foedissima sunt," inquit Sextus; "sed, si tibi non est molestum, de proelio audiamus, quod in his locis commissum est."

At Cornelius: "Quadam in convalle undique angustiis et collibus clausa, Romani, in insidias delati, omnibus ex partibus ab hostibus circumventi sunt. Quare, cum ne in virtute quidem

spes ulla salutis esset, nostri summam ad desperationem pervenerunt. Tum hostes se Romanos, sub iugum missos, cum singulis vestimentis incolumes abire passuros polliciti sunt.

“Condicione accepta, primi progrediebantur consules seminudi, deinde ceteri, cum interim circumstarent hostes exprobrantes atque eludentes. Quin etiam gladii sunt dstricti, ac Romani aut vulnerati aut occisi sunt, quorum vultus victores offenderat.

“Nostrum, cum omnes sub iugum missi essent, etsi ante noctem Capuam pervenire poterant, de fide sociorum incerti, oppidum adire non ausi sunt, ac prope viam passim humi corpora prostraverunt. Quod ubi Capuam delatum est, oppidani, commeatu benigne misso, summa comitate Romanos domum ad se hospitio receperunt.

“Interim Romae maestitia summa erat; quo cum consules victi redissent, senatu vocato, decretum est ut Samnitibus nuntiaretur irritam esse pacem a consulibus confirmatam, quod iniussu populi facta esset. Ne quis autem dicere posset Romanos fidem violasse, senatus decrevit praeterea ut consules, qui suo arbitrio pacem fecerant, vincti hostibus traderentur.”

“Nonne consules id recusaverunt?” inquit Sextus. “Nam tales captivos omni cruciatu necare puto hostibus licuisse.”

At pater: “Immo alter ex consulibus id ipse vehementer suasit, rem publicam ita omni religione liberatam ratus, si ei, qui pacem illam fecerant, hostibus dediti essent.

“Itaque consules sine mora magistratu se abdicaverunt ac Caudium sunt deducti; cumque ad portam urbis perventum esset, veste detracta manus eis post tergum revinctae sunt.

“Ubi ad tribunal imperatoris hostium venerunt Romani, atque ante eum stabant consules vincti, ille ira incensus negavit rem ita componi posse, omnesque Romam dimisit. Iuris haud consultus, scilicet secum male actum esse existimavit; et paulo post bellum acriter redintegratum est.”

Ut haec dicta sunt, Stasimus in oppidum Caudium praemissus est, ut quaereret deversorium ubi viatores edendo vires reficerent, priusquam Capuam inciperent iter tendere.



## CAPUT XXII

Cum horam unam Caudii morati essent, redis iterum profecti sunt. Dumque per rura amoena celeriter vehuntur, Cornelia: "Videtisne," inquit, "cacumen montis illius, qui nubibus misceri videtur?" Quibus verbis monstravit montem ingentem, qui ad occidentem plane aspici poterat.

Et pater: "Hic," inquit, "est mons ille Vesuvius, qui semel atque iterum agros et urbes finitimas magna clade obruit."

"De istis rebus," inquit Sextus, "ego numquam audivi. De his amplius, si vis."

"E natura loci," inquit pater, "facile apparet etiam antiquitus clades maximas ibi exstitisse; sed patrum memoria facta est notissima illa calamitas, de qua Plinius loquitur in litteris, quas ad Tacitum, familiarem suum, scripsit. Fortasse Publius, si has legit, vobis narrabit quid ibi invenerit."

Qua cohortatione inductus Publius: "Plinio erat avunculus eiusdem nominis, qui tum erat praefectus classi, quae Miseni agebat. Ille Plinius maior opus magnum conficiebat, cui est nomen 'Naturalis Historia'; ac summo studio exquirebat omnia, quae miranda et visu aut auditu digna videbantur.

"Itaque olim, cum subito ei nuntiatum esset in caelo apparere nubem inusitata magnitudine et specie, ex aedibus egressus escendit locum, unde commodissime miraculum illud conspici poterat.

"Ibi cognovit fumum, immensae nubi similem, oriri ex monte Vesuvio, qui procul in adverso litore stabat. Quare statim Liburnicam parari iussit, ut sinum transire et rem tam mirabilem propius noscere posset.

"Sed iam advenit tabellarius, litteras adferens cuiusdam mulieris, quae in villa monti subiacente morabatur. Imminente periculo exterrita, illa Plinium orabat ut se discrimini eriperet; nam nisi navibus nullam fugae esse spem. Ille igitur consilium vertit et quadriremes aliquot deduxit, ut auxilium ferret omnibus, qui ex illo loco effugere vellent.

“Tum rectum cursum in periculum tenuit, cum interim summa diligentia observabat et enotabat omnia, quae memoratu digna erant. Mox cinis in naves incidere coepit; cum autem moneret gubernator ut Misenum rediret, ille vero: ‘Fortes’, inquit, ‘Fortuna adiuvat’, ac recta in periculum contendit.”

“Ille certe intrepidus erat,” inquit Sextus. “Quem exitum res habuit?”

At Publius: “Brevi audies,” inquit: “Ubi ad litus naves appulsae sunt, Plinius in terram egressus hominesque trepidantis consolatus, se in balneum deferri iussit, ut sua securitate timorem ceterorum leniret; ac paulo post, cum noctu flammae ex monte relucere, dictitabat ab agricolis ignes relictos esse villasque desertas ardere.

“Interim fluctus magnos in litus ventus tam adversus volebat, ut inde nullo modo naves solvi possent. Quare Plinius quieti se dedit; cumque alii anxia mente vigilarent, ille somno artissimo quiescebat. Postremo autem area, pumicibus oppleta, tam alte surrexerat, ut, si diutius intus moraretur, e cubiculo exire ei omnino non liceret.

“Quare ab amicis ex somno excitatus se ceteris reddidit. Tum in commune consultant utrum in tectis maneant an in aperto vagentur; nam tecta crebris ac vastis tremoribus nutabant, in aperto autem lapidum casus metuebatur.

“Tandem exire constituerunt, et cervicalia capitibus imposita sunt, quae contra incidentes lapides munimento essent. Iam alibi erat dies, sed illic nox omnibus noctibus nigrior et densior; quare luminibus viam explorare necesse erat.

“Placuit iterum litus adire, si forte iam ventus naves solvere sineret; sed ibi omnia adhuc adversa erant. Tum subito flammae et odor sulphuris alios in fugam verterunt; Plinius autem, qui interim in harena recubuerat, primo surrexit, sed statim concidit ac ibidem mortuus est, spiritu caligine crassiore obstructo.”

“Quid ceteris factum est?” inquit Cornelia.

“Illi quidem,” inquit Publius, “incolumes evaserunt. Qui, cum primum lux diei iterum reddita est, eodem reversi, eius corpus inlaesum invenerunt; quin etiam illius habitus quiescenti quam mortuo similior erat.”

At Sextus: "Ubi interim erat ille Plinius, qui litteras scripsit?"

"Hic," inquit pater, "Miseni cum matre relictus, primo aliquid temporis studiis dat; nam tum duodevicesimum annum agebat. Tum sequitur balneum, cena, somnusque inquietus et brevis; nam motus terrae noctu tam validus exstitit, ut omnia plane everti viderentur.

"Quare Plinius et mater, ex aedibus egressi, in area con-sederunt; ubi iuvenis ultro librum Titi Livi poposeit, et quasi otiosus legebat. Sed etiam in area erat magnus et certus ruinae metus, quod tecta proxima tremoribus maximis quatiebantur.

"Prima luce demum oppido excedere visum est; sed vehicula, quae produci iusserant, etsi in planissimo campo, in contrarias partes agebantur, ac ne lapidibus quidem fulta in eodem vestigio quiescebant.

"Iam nubes in terram descenderunt, omniaque tenebris obscurata sunt. Tum mater filium vehementer hortari coepit, ut, quo modo posset, se servaret; se enim ipsam, annis ac corpore gravem, bene morituram, si filio causa mortis non fuisset.

"Ille autem, manum eius amplexus, addere gradum coegit. Brevi autem cinis cadebat densior; ac de via deflectere necesse erat, ne turba hominum perterritorum in tenebris obtererentur. Ibi con-sederunt, cum interim ululatus feminarum, infantium vagitus, clamoresque virorum omnibus ex partibus audirentur. Nam alii parentes, alii liberos, alii coniuges vocibus quaerebant.

"Iam cadebat cinis tam multus et gravis, ut identidem surgere cumque excutere cogerebantur; operiti aliter essent et pondere elisi. Sed postremo caligo tenuata in fumum discessit; sol etiam effulsit, luridus tamen, qualis esse solet, cum deficit.

"Plinius et mater, Misenum reversi, noctem suspensam atque inquietam egerunt; nam etiam tum tremores terrae continuabantur. Sed inde abire noluerunt, priusquam de salute avunculi nuntius certus perveniret."

"Multine homines hac clade perierunt?" inquit Sextus.

"Plurimi vero," inquit pater; "quin etiam, ut modo dixi, oppida tota obruta sunt."

Dum haec narrantur, viatores celeriter Capuam versus vehebantur, et propinquis iam tenebris in oppidum pervenerunt.

## CAPUT XXIII

Post cenam abundantem, cum iam Anna Lucium abduxisset, ceteri in aream egressi sunt; nam nox erat serena. Ibi postquam conseruerunt, Sextus: "Plura de hac urbe cognoscere velim. Fuitne Capua semper Romanis fidelis?"

"Diu inter socios Campani fidelissimi erant," inquit pater; "sed accepta clade Cannensi, de qua nuper audivistis, portae huius urbis Hannabili patefactae sunt; tum enim paene omnibus persuasum erat Romanos vincere non posse.

"Antea autem Hannibal Capuam frustra oppugnaverat, cum Romani et socii eam defenderent. Hoc tempore exstitit notabile facinus cuiusdam Vibi, cohortis Paelignae praefecti, qui, eruptione facta, vexillum trans vallum Carthaginensium proiecit.

"Tum se suosque exsecratus, si vexillum in potestate hostium manere passi essent, ipse audacter procucurrit; qua re incitata cohors tota statim subsecuta est.

"Quo viso, Valerius Flaccus, tribunus tertiae legionis, aemulatione incensus, suis: 'Spectatores,' inquit, 'alienae virtutis erimus, aut cives Romani gloria Latinis cedent? Ego quidem vel solus impetum facere paratus sum'.

"Cum haec audita essent, centurio quidam, signo sublato: 'Iam hoc,' inquit, 'intra hostium vallum mecum ibit; quare me sequimini, qui id capi nolitis'. Quo dicto, is quoque in hostes acerrime procucurrit, ac secum legionem totam traxit."

"Euax!" inquit Sextus. "Mihi certum est aliquando ad exercitum proficisci, ut ego quoque facta tam egregia edam."

"Talia sunt dictu quam factu faciliora, mi fili," inquit Cornelius. "Sed fortasse aliquando tu quoque bellator maximus eris."

Tum Publius: "Nonne Campani," inquit, "pro defectione a populo Romano poenas maximas pependerunt?"

"Ita vero," inquit pater. "Priusquam portae urbis iterum Romanis patefactae sunt, senatores fere septem et viginti sua

sponte venenum sumpserunt. Post deditionem ceteri in castra ad imperatores Romanos pergere iussi sunt; quo cum pervenisent, statim omnibus catenae sunt iniectae, ac alii Cales, alii Teanum in custodiam missi sunt.

“Interim res Roman ad senatum deferebatur. Sed alter ex imperatoribus Romanis, priusquam quid senatus decrevisset cognosci posset, cum duobus milibus equitum noctu Teanum profectus, magistratui imperavit, ut produceret eos Campanos, quos in custodia haberet. Senatores producti omnes virgis caesi ac securi percussi sunt.

“Eodem modo de eis quoque, qui Calibus erant, supplicium sumptum est. Tum demum imperator litteras aperuit, quae interim Roma adlatae erant, quasque solvere noluerat, priusquam senatores saltem Campani poenas dedissent.

“Ex senatus consulto magna multitudo Campanorum in servitutem venum data est; ac ager omnis et templa publica populi Romani sunt facta. Decretum porro est ne quod Campanis esset corpus civitatis neve senatus neve plebis concilium. Sed eo quotannis praefectus Roma ad iura reddenda missus est.

“Quae omnia ita facta sunt ut finitimi intellegerent in Romanis ad expetendas poenas a sociis perfidis quanta esset vis, et quam nihil valeret Hannibal ad eos defendendos, quos in fidem suam recepisset.”

“Nulline omnino erant oppidani,” inquit Cornelia, “qui in fide Romanorum permanserunt?”

“Vix ulli fidem praestiterunt,” inquit pater; “nec tamen exempla constantiae omnino desunt. Ita traditum est mulierem quandam cotidie sacrificasse pro salute et victoria populi Romani, aliam autem captivis militibus nostris cibum clam praebuisse.”

Tum Cornelia: “Gaudeo,” inquit, “mulieres saltem captivorum infelicitium miseruisse.”

“Nec Romani se ingratos praestiterunt,” inquit pater. “Nam, ne exemplum tantae fidelitatis neglegeretur, senatus decrevit ut his mulieribus bona ac libertas restituerentur; si alia praemia petere a senatu vellent, Romam venirent.”

“Perge porro dicere, sis,” inquit Sextus. “Haec te dicentem perlibenter audimus.”

“In his regionibus,” inquit pater, “ortus est etiam tumultus ille, quo Spartacus olim Italiam totam conterruit.”

At Sextus: “Quis erat ille? An Poenus alius?”

“Nullo modo,” inquit pater. “Thrax erat, qui, primo pastor, deinde latro, postremo gladiator factus, cum Capuae in ludo gladiatorio detineretur, aliquot conservis suis persuasit ut se in libertatem vindicare conarentur.

“Itaque ipse ac comites fere septuaginta eruperunt e ludo, et quam celerrime in montem Vesuvium perrexerunt, ubi in cacumine montis tuto absconditi sunt.

“Brevi omnibus ex partibus eodem conveniebant fugitivi alii; ac C. Claudius Pulcher, satis magnis copiis aggressus, a Spartaco facile fugatus est.

“Hac victoria evolgata, copiae Spartaci in dies numero crescebant, et duos annos ille totam per Italiam vagabatur, ubique victor, donec M. Licinius Crassus exercitui nostro praefectus est. Tum, proelio ad flumen Silarum commisso, Spartacus ipse est occisus eiusque copiae dispersae sunt.”

“Vix credibile videtur,” inquit Publius, “ipsa in Italia servos fugitivos tam diu robori exercitus nostri resistere potuisse.”

At Cornelia: “Mihi quidem multo magis mirandum videtur eos in montem Vesuvium refugere ausos esse.”

“Nondum exstiterat clades illa, de qua scribit Plinius,” inquit pater, “neo quisquam illis temporibus eventum talem expectabat, quamquam in his regionibus motus terrae crebri fiunt, et in montis cavernis sonus mugitui similis non numquam auditur.”

“Fortasse,” inquit Publius, “hic locus occupatus est a Spartaco, quod facile ibi etiam maximis hostium copiis resistere poterat.”

“Veri simile dicis,” inquit Cornelius. “Praeterea homines desperati haud timidi esse solent.

“Sed imperator Caligula, cum in Sicilia moraretur, repente Messana noctu profugisse dicitur, Aetnae montis fumo ac murmure perterritus. Quod satis credibile est; nam tradunt eum ad minima fulgura caput obvolvere atque etiam sub lectum se condere solitum esse.”

“Vah!” inquit Sextus. “Taliū imperatorum me piget.”

“Nunc autem,” inquit pater, “tempus est vos liberos cubitum ire. Mihi iam de itinere mandata quaedam Stasimo danda sunt et Onesimi rationes recensendae.”

Quo audito, Drusilla cum liberis tecta intravit; quo Cornelius et Publius, qui quoque itinere defessi erant, mox subsequuti sunt.

## CAPUT XXIV

Cum postero die iterum profecti essent, patri Sextus: "Quo nunc tendimus, pater?" inquit.

At ille: "Hodie Sinuessam iter facimus," inquit; "quo cum pervenerimus, tum denique mare Inferum videbis. Nam via Appia hinc ad litus flectit. Interim per agrum Falernum iter faciendum est."

"Haec igitur est regio," inquit Publius, "de qua tam saepe loquitur Horatius Flaccus; nam vinum Falernum ille semper laudibus magnis effert."

"Vera dicis," inquit pater. "Et haud procul est locus, ubi Hannibal sollertia magna imperatorem nostrum elusit. Sed de his rebus tu dic, Publi; nam existimo te apud Cornelium Nepotem haec nuper legisse."

Tum Publius: "Romanis Cannensi pugna devictis, Hannibal urbes complures occupavit et postremo nullo resistente Romam profectus, in propinquis urbi montibus consedit. Cumque aliquot dies ibi castra habuisset et Capuam reverteretur, in agro Falerno ei occurrit Q. Fabius Maximus, dictator Romanus, de quo dicit poeta quidam:

Unus homo nobis cunctando restituit rem.

"Hannibal, locorum angustiis clausus, Fabium tamen callidissime elusit. Nam noctu iuvencos, sarmentis in cornibus deligatis atque incensis, omnes in partes palatum emisit.

"Qui procul visi tantum terrorem exercitui Romanorum iniecerunt, ut extra vallum egredi nemo auderet; omnes enim existimabant insidias ab hostibus comparari. Interim Hannibal nullo prohibente copias suas e loco periculoso educebat."

"Nonne Hannibal umquam proelio superatus est?" inquit Sextus. "Mihi videtur ille semper aut sollertia aut virtute sua superasse."



“Cum hoc idem bellum iam viginti fere annos gestum esset,” inquit Cornelius, “Hannibal, in Africam redire coactus, Zamae tanta clade victus est, ut Carthaginienses se Romanis dedere cogerentur.”

“Quid postremo Hannibale ipso factum est?” inquit Cornelia.

“Fortasse,” inquit pater, “iam audivistis eum post cladem acceptam diu consilio et opera patriam suam sustentasse, tum autem clam domo abire coactum esse, quod suspicaretur se brevi Romam obsidem arcessitum iri.

“Primo ad regem Antiochum devertit, cui persuasit ut bellum Romanis inferret; deinde, Antiocho victo, Cretam vectus est; unde postremo in Pontum ad regem Prusiam se contulit.

“Ibi cum cognovisset Romanos misisse legatos, qui a Prusia postularent ut sibi in custodiam ipse traderetur, sua sponte venenum sumpsit, quod semper secum habere solebat.”

“Eheu!” inquit Cornelia. “Finem talem doleo; quamquam enim hostis ille erat, exitu meliore certe dignus fuit.”

At pater: “Homines non omnes,” inquit, “exitus se dignos inveniunt. Velut de Caesare dictatore saepe cogito, qui orbem terrarum subegit, atque inimicis suis identidem summa pepercit clementia. Sed cum paucos tantum menses bonis pacis fructus esset, manu eorum confossus est, qui ei amicissimos se esse simulabant.”

Quae cum dicta essent, paulisper omnes tacentes sedebant, dum equi redas celeriter via strata ducunt. Tum Cornelia: “Certis intervallis,” inquit, “per viam lapides collocatos iam diu animadverto. Cur ita positi sunt, pater?”

At ille: “Haec sunt miliaria,” inquit, “in quibus inscriptum est quam longe a Roma distent. Ibi in foro est aureum miliarium, quod quasi centrum imperii Romani habetur.”

“Solane in via Appia,” inquit Sextus, “miliaria posita sunt?”

“Omnibus in viis maioribus Italiae inveniuntur,” inquit pater. Quo dicto, omnes rursus conticuerunt.

Interim sol ardens in caelo fulgebat; ac postremo equi aestu laborare coeperunt. Quare, cum iam ventum esset ad locum ubi haud procul a via complures arbores altae umbram gratissimam praebebant, redas consistere Cornelius iussit.

Hic liberi, dum equi reficiuntur, aliquamdiu cum Lucio libenter luserunt, quem Anna, pallio substrato, humi posuerat. Tum Drusillae Cornelia: "Iam diu factum est, mater," inquit, "cum tu nobis fabulam narravisti. De bellis pater et Publius semper loquuntur. Nonne tu vis aliquid laetius narrare?"

At mater: "Metuo ne haud multa sciam, quae vos audire velitis. Sed fortasse numquam audivistis quo modo Atalanta in matrimonium data sit."

"Id quidem non audivimus," inquit Cornelia. "Narra, sis."

Tum Drusilla: "Atalanta erat regia virgo, quae cursu viros superare solebat; eam autem, cum pulcherrima esset, omnes iuvenes in matrimonium ducere cupiebant. Illa vero, etsi nubere nolebat, celeritate tamen sua freta promisit se ei nupturum, qui se cursu superasset.

"Lex autem certaminis erat, ut competitor victus occideretur. Qua lege dura haud deterriti, multi, pulchritudine virginis capti, in certamen descendebant; ac victi poenas dederunt.

"Postremo quidam iuvenis, Hippomenes nomine, qui haec omnia procul aspexerat, amore incensus, in certamen descendit. Qui cum in medio stadio constitisset, virgini: 'Cur facilem titulum tardis superandis quaeris?' inquit. 'Te mecum confer. Ego sum Neptuni nepos; ac, si vincar, tu nomen magnum et memorabile habebis.'

"Hoc audito, virgo, molli vultu iuvenis mota, paulisper dubitat an superare velit, et Hippomenam a certamine deterrere conatur. Ille autem in sententia perstat; ac rex et populus cursum solitum poscunt.

"Tum Hippomenes clam invocat Venerem, quae forte aderat manu ferens tria mala aurea, quae modo in agro sibi dedicato ex arbore fulva decerpserat. Haec mala, nullo cernente, dea iuveni dedit, docuitque qui usus esset in illis.

“Simulac signum tuba datum est, virgo et iuvenis vento celerius per harenam provolant. Illa facile superior erat; sed Hippomenes, a tergo relictus, subito de tribus malis unum proiecit. Virgo substitit ac cupide sustulit aurum. Interim iuvenis praeterit, et resonant spectacula plausu.

“Atalanta tamen celeriter moram correxit, et iuvenem iterum post tergum reliquit. Malo altero proiecto, virgo rursus constitit, atque iterum consecuta est. Tum Hippomenes summa vi malum tertium longe a cursu proiecit; puella dubitat, tum aurum petivit. Sic virgo, mora et malorum gravitate impedita, praeterita est, atque Hippomenes victor praemium cepit.”

“Euax!” inquit Cornelia. “Talia me delectant.”

Sed iam omnia ad proficiscendum parata erant; ac brevi viatores iterum Sinuessam versus tendebant.

## CAPUT XXV

Tanto alacrius equi iam progressi sunt, ut hora octava ad oppidum Sinuessam perveniretur; ubi viatores libenter e redis descenderunt. Drusilla cum servis statim se recepit in deversorium; ceteri autem per oppidum paulisper ambulare malebant. Sed sub cenae tempus omnes ad tecta redierunt.

Interim Stasimus se immiscuerat sermonibus servorum, qui in deversorio habitabant; et post cenam in culina clare resonabant frequentes cachinni. Postremo intrat senex morosus, qui ab omnibus conservis suis ludibrio habebatur; quem ut ludificaret, hoc modo incipit Stasimus:

*Stasimus.* Quid nunc, pater? Quid agis? *fecit bene pater*

*Senex.* Iuvenem scelestum atque adeo impudicum aspicio.

*Stasimus.* Itane vero? Ubi est ille, obsecro? Nam ego quidem eum nusquam video.

*Senex.* Si non vides, at senties demum, cum pro delictis tuis tergum virgis caedetur.

*Stasimus.* Noli maledicere. Quid, obsecro, hodie fecisti?

*Senex.* Nemo me miserior vivit! Duas horas totas aquam e fonte ferre coactus sum; nec quisquam me adiuvere voluit.

*Stasimus.* Quo modo te nunc adiuvere possumus?

*Senex.* Eheu!

*Stasimus.* Eheu? Ita quidem te libenter adiuvabo.

*Senex.* Miser sum; argenti nihil habeo—

*Stasimus.* Eheu!

*Senex.* Nec mihi ulla gratia est.

*Stasimus.* Eheu!

*Senex.* Cotidie laboribus adsiduis conficior.

*Stasimus.* Eheu!

*Senex.* Isto modo me adiuvas, mastigia?

*Stasimus.* Do quod mihi est; divitias alias nullas habeo.

*Senex.* Apage a me istas divitias.

*Stasimus.* Hoc animadvertite, senex. Nonne vis nunc saltare?

*Senex.* Abi in maximam malam crucem. Mene insanire putas?

*Stasimus.* Nonne igitur manibus ambulare vis?

*Senex.* Papae! Delirat profecto. Quid nunc nobis faciendum est?

*Stasimus.* Bacchus me in montes vocat; sed abire nequeo, quod domus simiis oppleta est, et portam occupavit hic canis rabidus.

*Senex.* Ei mihi! Canem rabidum me esse dicit. Ut oculi scintillant! Male metuo ne in me inruat.

*Stasimus.* Nunc manu fustem capio, quo caput illi cani rabido comminuam.

Quae cum dixisset, scipione arrepto, in senem impetum tam subito fecit, ut ille terrore demens foras maximis clamoribus erumperet, cum reliqui semel atque iterum tollerent cachinnos.

Hoc tumultu audito, Cornelius: "Suspikor," inquit, "Stasimum istum scelestum rursus dolos suos versare. Abi, Publi, atque exquire quid factum sit."

Paulo post reversus Publius ridens: "Stasimus ludificans, ut solet," inquit, "se insanum esse simulabat, et cuidam seni moroso tantum iniecit terrorem, ut ille summo cursu foras effugeret.

"Ceteri autem, qui maxima delectatione haec omnia viderant, cum senex perterritus foras fugisset, in cachinnos tantos eruperunt, ut subito corrueret subsellium, in quo sedebant duo servi obesi; qui ita humi effusi sunt supini."

"Hahahae!" inquit Sextus. "Vellem adfuissem. Profecto nihil est Stasimo nostro facetius."

Tum Cornelius, qui ipse vix risum continere potuerat: "Facetus certe est," inquit; "sed, ut saepe iam dixi, maxime metuo ne quando in aliquod malum magnum incidat. Nam haud omnes tam toleranter eius argutias ferent."

"Ut ad rem aliam redeamus," inquit Publius, "hodie mentio facta est de rege Antiocho, ad quem Hannibal profugit. Dum haec dicuntur, recordari videbar me aliud quoque de eodem rege audisse. Nonne est aliquid de eius copiis ab Hannibale facete dictum?"

“Maxime vero,” inquit pater. “Reges barbari inani specie militum et fulgore armorum vehementer delectari solent; taliaque saepe pluris faciunt quam robur et fortitudinem.

“Quare, ut Hannibal ad Antiochum pervenit, rex glorians, cum copias suas argento auroque splendidas instruxisset, Hannibali: ‘Nonne putas’, inquit, ‘satis esse Romanis haec omnia?’ At ille: ‘Satis esse credo Romanis haec omnia, etiamsi avarissimi sunt.’”

“Digne responsum!” inquit Publius. “Etsi mihi mirandum videtur Hannibalem voluisse tam aperte despiciere copias regis, quem ad bellum in Romanos excitare euperet.”

Iam autem Sexto Cornelia: “Horum sermonum de rebus bellicis,” inquit, “me iam dudum taedet. Age, abeamus, ut cum Onesimo paulisper loquamur. Ad eum ego prior perveniam. Occupet extremum scabies!”

Quo dicto, celeriter foras abiit; ac frater, qui nollet videri a puella cursu superari, quamvis invitus subsecutus est. Per aream celeri passu evaserunt, Sextus autem prior conclave parvum intravit, ubi Onesimus otiosus uvis magnis se oblectabat. Qui liberorum subito adventu commotus exsiluit ac: “Quid nunc fit?” inquit. “Numquid mali accedit?”

“Nihil tale evenit,” inquit Cornelia. “Sed pater et Publius semper de bello et caede loquuntur; atque ego quidem libenter alia audio. Nuper tu quaedam periucunda narravisti. Nonne vis nunc quoque aliquid nobis dicere?”

At ille: “Cum adhuc puer essem,” inquit, “de lignatore fabulam audire solebam; hanc vobis narrare possum.”

“Euge!” inquit Cornelia. “Audiamus.”

Tum Onesimus: “Olim erat lignator inops, qui aetate confectus cotidie in silvam ibat ut colligeret ramos aridos, quos oppidanis venderet. Ita sibi victum tenuem quaerebat.

“Fasces aequo animo ferre solitus est; sed olim, onere deposito in via delassatus consedit ac clare Mortem invocavit, ut praesto esset seque laboribus tantis liberaret. Dicto citius Mors ei adesse visa est, quae: ‘Quid est?’ inquit. ‘Quo modo ego te adjuvare possum?’”

“Tum ille territus: ‘Benigne facis, Mors’, inquit, ‘quae tam celeriter ad me adiuvandum adsis. Onus meum hodie gravissimum est; cumque id paulisper deposuissem, iterum tollere non potui. Itaque aliquem quaerebam, qui id tergo meo rursus accommodaret.’”

“Quanta mendacia dicebat!” inquit Cornelia. “Credo eum numquam postea talia experiri ausum esse.”

Paulo post advenit Stasimus, qui liberos arcesseret; nam nox erat, ac Lucius iam pridem dormiebat.

Sextus autem et Cornelia negabant se umquam minus dormire voluisse. Sed mater admonuit cras iter rursus ingrediendum esse.

“Quo mane tendimus, pater?” inquit Sextus, dum abire cunctatur.

At Cornelius: “Spero,” inquit, “nos cras Fundos, fortasse Anxur usque pervenire posse. Sed vos iam abite.” Quo audito, liberi quamvis inviti cum matre discesserunt.

## CAPUT XXVI

Mane, dum via Appia celeriter vehuntur, Cornelio Sextus: "Nudius tertius, pater," inquit, "de Spartaco loquebaris. Quo modo evenit ut gladiatores illis temporibus Capuae detinerentur?"

Tum pater: "Etiam antiquitus Capuae habebatur ludus, ubi gladiatores exercerentur. Qui homines, cum eo genere pugnandi bene instituti essent, Romam missi sunt, ut ibi in harena populi delectationis gratia operam ederent. Neque est ullum genus spectaculi quod plerisque magis placeat."

"Mihi quidem," inquit Drusilla, "omnia eius modi crudelissima videntur, et magis beluis digna quam hominibus."

"Semper fuerunt nonnulli," inquit Cornelius, "qui tecum sentirent. Ac Cicero ipse quodam loco talia spectacula his verbis improbat: 'Quid potest homini esse politico delectatio, cum aut homo imbecillus a valentissima bestia laniatur, aut praeclara bestia venabulo transverberatur?'"

"Atque idem alio loco scripsit se cum eis sentire, quibus gladiatorum spectacula inhumana viderentur;—etsi iudicat antiquitus aliter rem se habuisse, cum capitis damnati inter se depugnarent."

"De hoc amplius, si vis, pater," inquit Sextus; "nam de huius modi certaminibus numquam audivi."

Ac pater: "Eis temporibus, de quibus dicit Cicero, interdum capitis damnatis data est facultas optandi utrum statim morerentur, an aliquamdiu operam in arena ea condicione ederent, ut, si post certum tempus adhuc superstites essent, tum liberi dimitterentur. Cum homines ita inter se de libertate pugnarent, Cicero certamen honestius nec moribus civitatis tam perniciosum putabat."

"Nonne aliquid simile ab Hannibale factum est," inquit Publius, "cum bellum Italiae inferens Alpes transiret?"

"Recte dicis," inquit Cornelius. "Cum enim iam ad summos montes pervenisset et brevi in Italiam descensurus esset,



milites suos non solum verbis sed etiam rebus cohortandos ratus, ad spectaculum eius modi eos convocavit:

“Captivos montanos in medio vinctos statuit, armisque ante pedes eorum proiectis, interpretem interrogare iussit num quis ferro decertare vellet, si victor libertatem, arma equumque acciperet.

“Montani omnes ad unum cupide ferrum pugnamque poposcerunt. Quare sorte electi sunt, qui depugnarent. Interim aspiciebant Hannibalis milites; quorum mentes maxime sunt confirmatae, cum viderent quam laeti in certamen descenderent barbari, quamque libenter mortem ipsam oppeterent.”

“Hoc quoque crudele mihi videtur,” inquit Cornelia. “Nullane sunt spectacula, quae homines mori non cogant?”

“Maxime vero,” inquit pater. “Saepe populi delectationis causa variae res inusitatae et mirandae inducuntur. Velut Galba ille, qui postea imperator factus est, novum spectaculi genus, elephantos funambulos, edidit. Et olim notissimus eques Romanus, elephanto supersidens, per funem decurrit.”

“Vellem tum adfuissem,” inquit Cornelia. “Talia saltem perlibenter vidissem. Erantne alia eorum similia?”

At pater: “Nomen Daedali, credo, saepe audivisti. Meministine quid eius filio factum sit?”

“Memini vero,” inquit Cornelia. “Daedalus alas fecit, quibus filius per aëra magnum volaret. Icarus autem ad solem propius accessit; cuius ardore, cera mollita, alae solutae sunt, ac puer infelix in mare praecipitatus est.”

Tum pater: “Imperator Nero olim in amphitheatro idem temptari voluit,” inquit. “Sed ‘Icarus’ primo statim conatu decidit atque imperatorem ipsum sanguine suo respersit.”

“Paene Romani nominis me pudet,” inquit Cornelia, “cum talia audio. Imperatorem quam crudelem, qui homines tam periculosa temptare coegerit!”

“Aliud multo inhumanius fecit Caligula,” inquit pater. “Ille enim, cum ad cibum ferarum muneri praeparatarum pecudes carius compararentur, ex capitis damnatis dicitur homines elegisse, quibus ferae vescerentur.”

“Quale monstrum hominis!” inquit Drusilla, “si vero homo omnino appellandus est.”

“Naumachiam quoque Nero exhibuit,” inquit Cornelius, “in lacu marina aqua repleto, ubi etiam beluae natabant; atque a Claudio spectaculum simile editum est.

“Hic autem, cum propugnatores (ut solent gladiatores) proclamarent: ‘Ave, imperator, morituri te salutant’, diu dubitabat an eos inter se pugnare iuberet; postremo vero ad pugnam compulit; signo proelii a Tritone dato, qui machina e medio lacu emererat.

“Sed iam illis de rebus satis diu locuti sumus. Fortasse tu, Drusilla, liberis aliquid iucundius narrabis.”

Illa primo abnuat; nam dicebat se nuper minimum temporis lectioni dedisse; cum autem Sextus et Cornelia acrius instarent: “Adhuc puella,” inquit, “saepe de rege Mida fabulam audivi. Hanc, si vultis, nobis fortasse narrare possum.”

“Narra, sis,” inquit Cornelia. “Nos ad audiendum parati sumus.”

Tum mater: “Olim Midas, Phrygum rex, gratiam maximam a deo Baccho iniit, quod Silenum amissum ad eum reduxerat. Quare deus regi facultatem dedit optandi quid pro praemio accipere vellet. Atque ille stultus: ‘Effice’, inquit, ‘ut omnia, quae corpore contigero, in aurum flavum vertantur’.”

“Haud stultus mihi rex fuisse videtur,” inquit Sextus; “nam isto modo divitias maximas facillime comparare potuit.”

“Ipsi quoque,” inquit mater, “res primo ita se habere videbatur. Cum autem cibum capere vellet, et ministri mensas dapibus optimis extruxissent, tum haec quoque omnia regis tactu aurea facta sunt; qui, dives et miser, quid faceret non habebat.”

“Mortalem infelicem!” inquit Cornelia. “Quo modo ex tantis malis se expedit?”

Tum mater: “Ad caelum bracchia tollens: ‘Da veniam, pater Bacche’, inquit; ‘peccavi. Sed miserere, precor, meque ex hoc malo eripe’.

“Quo audito, deus mitis resolvit munus, et Midae imperavit ut quodam in fonte lavaretur. Quod cum factum esset, vis aurea ex corpore regis in aquam cessit; ac traditum est in harena fluminis, quod inde oritur, grana aurea etiam hodie reperiri posse.”

“Papae!” inquit Sextus. “Hoc verum esse vix credere possum.”

At mater: “Idem dices, cum vobis aliud narravero, quod postea huic regi accidit:

“Nam deus Pan, dum nymphis teneris carmina fistula modulatur, glorari ausus est se Apollinem ipsum cantu superare posse. Quare illi duo ad certamen sub Tmolo iudice venerunt; quo in certamine Pan facile victus est.

“Tmoli iudicium omnibus placuit; Midas solus dissentiebat. Quam ob rem pro tanta stultitia Apollo aures regis in spatium traxit, easque in speciem asini aurium mutavit. Itaque Midas, ut hoc vitium turpe tegeret, semper postea caput tiara velare coactus est.”

Dum haec dicuntur, nubes in caelo cogeantur, brevique inaber frigidus consecutus est. Viatores, in villa quadam duas horas morati, multo ante noctem tamen potuerunt Fundos pervenire; ubi ad deversorium libenter se contulerunt.

## CAPUT XXVII

Postero die ante horam quartam Anxur facile perventum est; quo in oppido viatores paulisper substiterunt, ut cibum caperent; nam liberi etiam tum esuriebant.

Cum omnia iterum parata essent ad iter faciendum, Sextus nusquam reperiri poterat, donec eum aspexit Stasimus in area, ubi cupide audiebat servos duos, qui inter se loquebantur.

Puero revocato, ex oppido viatores statim profecti sunt. Ac cum iam leniter via strata veherentur, Sexto Cornelius: "Quid," inquit, "inter se loquebantur illi servi duo, quos in area audiebas?"

At Sextus: "Unus erat homo senectute iam confectus, alter autem admodum iuvenis. Senior dicebat se modo Appi Foro advenisse."

"Illud est oppidum," inquit Cornelius, "ubi hanc noctem acturi sumus. Sed quid postea dictum est?"

"Primo," inquit Sextus, "pauca alia inter se locuti sunt; tum ille senior de temporibus dicere coepit, cum ipse puer esset."

"Quid puer fecit?" inquit Cornelia.

At Sextus: "Dixit se ipsum adfuisse, cum quidam vir sanctus, Paulus nomine, Romam iter faciens et catenis vinctus, Appi Fori substitisset.

"Cum hoc tantum dictum esset, a Stasimo arcessitus sum; quare nec quis esset ille Paulus, nec cur eum catenis vinxissent, cognoscere potui."

"Suspitor," inquit Publius, "hos servos Christianos esse; ac veri simile est istum Paulum fuisse adfinem eiusdem superstitionis, qui imaginem imperatoris adorare noluisse."

"Quales homines sunt Christiani, pater?" inquit Cornelia. "Hoc nomen saepe audivi, neque umquam quid significaret intellexi."

“De natura huius superstitionis,” inquit pater, “nihil satis compertum est; etsi orbis terrarum nullus nunc est locus, ubi isti Christiani non reperiantur.

“Sed Plinius ille, qui de monte Vesuvio ad Tacitum litteras misit, multis annis post avunculi mortem provinciae Bithyniae praepositus, cum incolas plurimos Christianos esse cognovisset, de eis ad imperatorem Traianum accuratius scripsit.

“At haec, credo, Publius noster nuper legit. Quare ille vobis exponet quo modo Plinius cum Christianis egerit.”

Publius, tali cohortatione inductus: “Plinius,” inquit, “hoc modo rem transegit: Eos, qui ad eum deferebantur, interrogabat essentne Christiani. Si ita confitebantur, iterum ac tertio interrogabat, supplicium quoque minatus.

“Si etiam tum obstinata mente idem dicere perseverabant, ad supplicium duci iubebat; (nam, ut ipse dicit, talis pertinacia saltem punienda erat). Sed eos, qui cives Romani erant, ad urbem remisit; cuius generis fortasse erat ille Paulus, de quo modo loquebamur.

“Alios, qui negaverunt se esse Christianos, dimittebat, postquam imaginem adoraverant imperatoris, et Christo male dixerant (quorum neutrum facere cogi posse dicuntur ei, qui re vera Christiani sunt); ac pari clementia etiam eos tractavit, qui dixerunt se olim Christianos fuisse, sed paucis ante annis destitisse.”

“Quam ob rem ad Traianum omnia scripsit Plinius?” inquit Sextus.

At Publius: “Ipse dicit se numquam Romae causis Christianorum interfuisse, nec scire quo modo ei tractandi essent. Itaque litteras Romam misit, ut cognosceret omniane a se rite agerentur.”

“Saepe audivi,” inquit Drusilla, “Christianos maleficos esse homines, qui in se scelera maxima admisissent.”

“Hoc quidem,” inquit Cornelius, “vix adfirmare audeo. Idem enim Plinius scribit se ex duabus ancillis etiam tormentis quaesivisse, in his rumoribus quid veri esset.

“Omnium testimonio comprobatum est Christianos stato die ante lucem solere convenire carmenque Christo quasi deo inter se dicere; praeterea sacramento eos se non in scelus aliquod adstringere, sed ne furta facerent, ne fidem fallerent, ne creditum abiurarent, et eius modi alia.”

“Si haec vera sunt,” inquit Drusilla, “non intellego quo modo illi tantam in infamiam pervenerint.”

“At,” inquit Cornelius, “Christum pluris faciunt quam aut Caesarem aut imperium Romanum. Praeterea hetaerias amant, quas imperatores propter pericula coniurationis prohibere coacti sunt.”

“Quid rescipit Traianus,” inquit Sextus, “cum Plini litterae ed eum adlatae essent?”

“Respondit ille,” inquit pater, “non esse conquirendos Christianos; eos porro, qui deferrentur, dimittendos esse, si negassent se esse Christianos et id fecissent manifestum deosque nostros adorassent.”

“Nisi fallor,” inquit Publius, “multis ante annis Nero imperator cum Christianis multo acerbius egerat.”

“Recte dicis,” inquit pater. “Cum enim magna pars urbis incendio deleta esset multique suspicarentur incendium iussu imperatoris ipsius factum esse, ille, ut a se hanc suspicionem averteret, damnum illud a Christianis esse inlatum confirmare non dubitavit.

“Quare illi miseri, pellibus ferarum induti, canibus saevis dilaniandi sunt obiecti, aut, crucibus affixi ac oleo perfusi, cum dies defecisset, concremati sunt, ut lumen nocturnum imperatori praeberent.”

“Perhorresco audiens,” inquit Drusilla. “Etsi Christianos parvi facio, tamen mihi quidem nefas esse videtur eos tanta saevitia tractare. Ac cum talia audio, interdum paulum abest quin velim nos alio aevo vixisse. Nam antiquitus principes civitatis viri erant, qui iure apud bonos omnes summo in honore haberentur.”

“Credo de Regulo et eius similibus te cogitare,” inquit Cornelius.

“Quis erat ille Regulus?” inquit Cornelia.

“Regulus erat imperator Romanus,” inquit pater, “qui in Africa serpentem illam ingentem occidit. Postea a Carthaginiensibus captus, Romam ea lege remissus est, ut in Africam reverteretur, nisi persuasisset senatoribus ut captivos quosdam commutarent.

“Ille autem, cum Romam pervenisset, senatum exoravit ne hanc condicionem acciperet; ac tum aequo animo in Africam revertit, ne fidem falleret, etsi plane sciebat hostes summa crudelitate supplicium de se sumpturos.”

“Haec,” inquit Publius, “me admonent de quibusdam versibus eximii poetae Horati Flacci:

Virtus repulsae nescia sordidae  
Intaminatis fulget honoribus,  
Nec sumit aut ponit securis  
Arbitrio popularis aurae.  
Virtus recludens immeritis mori  
Caelum negata temptat iter via,  
Coetusque vulgaris et udam  
Spernit humum fugiente penna.”

“Ii versus profecto optimi sunt,” inquit pater; “atque, ut spero, Sextus noster aliquando hos et alios eius modi multos ediscet.”

“Experiar equidem,” inquit Sextus. “Sed interim magnam fossam aquae plenam haud procul a via video. Quid est, obsecro, pater?”

“Ilic est euripus,” inquit Cornelius, “quo viatores noctu navibus vehi solent. Quin etiam ipse poeta, cuius versus modo audivisti, olim Appi Foro hoc modo usque ad fontem Feroniae vectus est, cum Roma profectus Brundisium iter faceret.”

“Nos certe navi satis superque vecti sumus,” inquit Drusilla. “Nunc via strata redis progredi periucundum est.”

Ita tempus terebant, ac denique circiter hora decima Appi Forum defessi pervenerunt.

## CAPUT XXVIII

Cum denuo Romam versus progredierentur, Cornelio Sextus: "Quam mox, pater," inquit, "ad urbem ipsam perveniemus?"

"Hodie Ariciam usque certe iter faciemus," inquit pater; "ac postero die spero Romam nos perventuros esse."

"Euge!" inquit Sextus. "Vix me continere possum; tam sum cupidus videndi ea omnia, de quibus tu et Publius saepe locuti estis."

Iam autem Drusillae: "Nudius tertius, mater," inquit Cornelia, "tu fabulam periucundam de rege Mida nobis narravisti. Nonne vis aliud hodie nobis dicere?"

At mater: "Ut suspicor," inquit, "vos liberi scitis Romam ad Tiberim a Romulo positam esse. Antiquitus naves magnae saepe adverso flumine usque ad urbem perveniebant; sed hodie pleraeque in portu Ostiensi ancoras iaciunt, neque ultra progrediuntur.

"Olim, cum religio Magnae Matris in Italiam inferretur et imago deae mare transvecta Ostiam pervenisset, omnium ordinum multitudo maxima, una cum matronis et Vestalibus, obviam se tulit.

"Tum honoris causa viri, funibus arreptis, summo labore navem flumine adverso ad urbem ducere coeperunt. Primo res prospere cessit; deinde autem navis in vada incidit subita, neque ullo modo longius provehi potuit.

"Quo omine infausto cum omnes terrerentur, prodiisse tradunt quandam mulierem Claudiam nomine, de qua rumores infames divulgabantur.

"Illa clare deam precata ut probitati suae testimonium daret: 'Si proba sum', inquit, 'sequere me, precor, Magna Mater, ut castitas mea omnibus manifesta sit'.

"Quae cum dixisset, manus teneras ad funem admovit; ac (mirabile dictu) dea volente navis leniter progressa est, atque imago sic ad urbem pervenit."



“Rem vere mirandam!” inquit Cornelia. “Talia credere difficile est.”

“De hoc ipso ambigitur,” inquit pater. “Nam scriptor optimus Livius, qui quaedam de adventu deae commemorat, eam dicit Ostia pedestri itinere a matronis ad urbem deductam esse.”

“Ego autem,” inquit Publius, “rem aeque mirandam nuper legi.”

“Audiamus,” inquit pater; “gaudeo enim te tam studiose auctores nostros tractare.”

“Apud Tacitum scriptum est,” inquit Publius, “divum Vespasianum, cum in Aegypto moraretur, quosdam homines aegros quasi divina ope sanasse.

“Nam quidam ex plebe Alexandrina, oculorum morbo affectus, imperatoris genua advolutus est, multis cum lacrimis ab eo remedium caecitatis exposcens, cum diceret se id rogare monitu dei Serapidis, quem gens illa maxime colit. Alter porro, cui erat manus debilis, imperatorem oravit, ut pedibus se calcaret; nam dicebat ab eodem deo ita mandatum esse.

“Vespasianus primo aspernatus est; tum medicos rogavit num haec vitia ope humana superabilia essent. Illi responderunt imperatoris divino ministerio ea sanari posse.

“Hic igitur laeto vultu, multitudine circumfusa, oculos alterius tetigit, alteriusque manum pede calcavit. Quo facto, manus ad usum conversa est, ac caecus plane videre potuit.”

“His fabulis maxime delector,” inquit Cornelia. “Quanto sunt iucundiores quam res bellicae!”

“Atqui mihi recordari videor quoddam facinus bellicum,” inquit pater, “quod etiam te delectare possit, Cornelia.”

“Narra, sis,” inquit Sextus. “Omnia, quae ad bella pertinent, me delectant; sed cruenta facta potiora sunt.”

At pater: “Poeni et Cyrenenses diu inter se bella gerebant. Postremo, veriti ne se defessos alius hostis aggrediretur, sponsonem fecerunt ut certo die legati utrimque domo proficiscerentur, ac, quo in loco inter se illi obvii fuissent, is communis utriusque populi finis haberetur.

“Carthagine duo fratres missi sunt, qui celeriter iter fecerunt. Cyrenenses autem, tardius progressi, cum se victos esse vidissent, criminari coeperunt Carthaginienses domo ante tempus constitutum profectos esse.

“Quare fratres condicionem novam petierunt; ac Cyrenenses dixerunt finem iam inventum ratum futurum, si legati Carthaginienses ibidem se vivos obrui passi essent. Nam scilicet credebant alteros condicionem tam iniquam aspernatos.

“Quae spes eos multum fefellit; fratres enim, condicione accepta, vitam suam rei publicae libenter condonaverunt, ibique vivi sepulti sunt.

“Quam ob rem cives postea eo loco aras fratribus consecraverunt, aliique illis domi honores habiti sunt. Quin etiam, etsi Carthago ipsa multos post annos deleta est, memoriam huius egregii facti oblivio numquam obruet. Vere enim dictum est: ‘Excepta virtute, nihil immortale est, quod mortali animo ac manu quaeri possit.’”

“Mihi quidem,” inquit Publius, “illi fratres videntur tali elogio digni, quale scripsit Simonides in Lacedaemonios, qui Thermopylis mortem oppetiverunt:

Dic, hospes, Spartaë, nos te hic vidisse iacentis,  
Dum sanctis patriae legibus obsequimur.”

“Etiam haec tristia sunt,” inquit Cornelia; “etsi nequeo exempla tantae fortitudinis non admirari.”

“Ego vero aliquid narrare possum,” inquit Publius, “quod Sexto nostro magis placeat.”

Ac Sextus: “Age, dic, frater,” inquit. “Illa, quae modo audivimus, quamvis speciosa, me minus delectant.”

“Olim,” inquit Publius, “cum Agricola Britanniam armis subigeret, cohors quaedam Usiporum memorabile ausa est facinus; occiso enim centurione et militibus, qui ad tradendam disciplinam manipulis immixti erant, tres naves occupaverunt, eum gubernatores vi ac minis secum ascendere coegissent.

“Tum secundum litus vecti, etsi saepe ad aquandum et cibum raptum e navibus egressi erant, postremo in tantam pervenerunt inopiam, ut primo infirmissimis suorum, tum aliis sorte ductis vescerentur.”

“Vah!” inquit Cornelia. “Intellegere nequeo cur res tam foedas audire cupias, Sexte.”

“Hoc adprime bonum est,” inquit ille. “Quid tum, Publi?”

At frater: “Usipi, hoc modo Britanniam circumvecti, navibus inscientia regendi amissis, in continenti pro praedonibus habiti sunt. Multi a Suebis et Frisiis sunt aut interfecti aut capti; atque eorum, qui ita in servitutem redacti erant, nonnulli mutatione emptorum usque ad nostram ripam pervenerunt.”

Dum haec dicuntur, equi leniter progrediebantur; ac Lucius, aura tepida languidus, iam consopitus erat. Quem cum vidisset somno leni quiescentem, Publius ex memoria pronuntiare coepit:

“Somne, quies rerum, placidissime, Somne, deorum,  
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris  
Fessa ministeriis mulces reparasque labori.”

“Hi versus mihi maxime placent,” inquit Drusilla, “nec memini me eos ante audire. Unde sunt, obsecro?”

At Publius: “Hos et multos alios aequae bonos inveni apud poetam Ovidium, quem assidue lego. Nam pauci sunt, qui tam facile et eleganter scribere possint.”

Sic die toto iucunde peracto, noctu viatores in oppido Aricia ad cauponem deverterunt.

## CAPUT XXIX .

Multo mane, paene priusquam ceteri surrexerunt, Cornelius et Publius foras egressi sunt, ut loca circumspicerent. Haud procul montem Albanum viderunt, ac longius colles alii apparebant.

Tum Publius: "Montem Albanum libentissime video," inquit, "quod ibi traditum est ab Ascanio conditam esse urbem, unde (ut fert Vergilius) erant 'Albani patres,' et postremo 'altae moenia Romae'."

"His in regionibus sunt alia quoque dignissima, quae aspiciantur," inquit pater. "Velut haud longe abest fanum Dianae Nemorensis."

"De hoc, quod sciam, numquam audivi," inquit Publius. "Istius cultus quid proprium est?"

At pater: "Fanum silva densissima est tectum; ac, mirabile dictu, sacerdos est servus fugitivus, qui numquam nisi gladio cinctus foras egreditur."

"Quam ob rem, obsecro?" inquit Publius. "Subitine impetus vim timet?"

"Maxime vero," inquit pater. "Nam illud sacerdotium miris modis traditur. Ille, qui id adeptus est, rem divinam curat, donec ab alio vi aut dolo interficitur. Tum is, qui interfecit, ipse sacerdos fit, et gladio cinctus egreditur, anxius ne quis alius se quoque occidat, ut sacerdotium adipiscatur."

"Papae!" inquit Publius. "Miror unde mos tam mirabilis deductus sit." Tum ad tecta respiciens: "Ecce autem Onesimus appropinquat, ac credo ientaculum iam paratum esse."

Quae ut dicta sunt, ad deversorium redierunt; ubi omnes, cum paulum edissent, in redas escenderunt, brevique Romam versus rapide vehebantur.

Ad urbem quo propius accedebant, eo plura videbant liberi, quae eos studio cognoscendi incenderent. Ac Sextus: "Cur," inquit, "prope viam ubique tot sepulchra videmus?"

“Antiquitus,” inquit pater, “per leges non licuit intra muros urbis homines sepeliri. Itaque principes civitatis prope vias, quae ad urbem ferunt, haec monumenta exstruxerunt, ut posteritati nota essent loca, ubi sepulti essent.

“Postea raro permissum est ut in Campo Martio quoque sepulchra splendida exstruerentur; in quibus est illud Mausoleum Augusti, ubi conditi sunt ipsius cineres et multorum propinquorum.”

“De hoc monumento apud Suetonium mirabile quiddam est,” inquit Publius; “nam paulo ante Neronis mortem dicuntur fores sua sponte patefactae esse; unde audita est vox imperatorem nomine vocantis.”

“Noli, obsecro, mi fili,” inquit Drusilla, “tam dira narrare. Cum audio, tremor gelidus per ossa ima mihi percurrit.”

At Sextus: “Cur,” inquit, “illud sepulchrum ‘Mausoleum’ appellabatur? Nonne hoc est nomen insolitum?”

“Recte quaeris, Sexte,” inquit pater. “Vocabulum ductum est e nomine Mausoli, regis Cariae, qui abhinc fere quingentos annos decessit. Quo mortuo, uxor sepulchrum splendidissimum exstruxit, quod ‘Mausoleum’ vocabatur. Idem nomen postea aliis quoque sepulchris regiis inditum est.”

Tum Publius: “Haec me admonent,” inquit, “de voce detestabili imperatoris Vitelli, cum sepulchrum Othonis videret.”

“Quid dixit ille, obsecro?” inquit Sextus.

Ac Publius: “Otho, cum haud procul a Cremona exercitus cum copiis Vitellianis congressus esset, proelio facile victus est, ac statim—etsi aliae legiones integrae ei supererant—se interfecit, cum nollet perseverando damna maiora civitati inferre.

“Sine mora sepultus est in agris haud procul a loco ubi proelium commissum erat, ac monumentum modicum est adiectum. Vitellius autem, cum fere quadraginta post diebus e Germania Romam iter faciens eo pervenisset et sepulchrum vidisset humile, Othonem despiciens, ‘dignum eo Mausoleo’ eum esse dixit.”

“Ipsene Vitellius,” inquit Cornelia, “Mausoleo splendido dignus erat?”

“Longe aliter existimabant eius cives saltem,” inquit pater. “Nam omnibus sceleribus se contaminaverat; cumque Vespasianus imperator salutatus esset, ille brevi vitae finem factis suis dignum invenit.

“Ubi enim milites Vespasiani Romam pervenerunt, veritus ne in eorum manus incideret, iste imperator egregius, duobus solis comitibus—pistore et coquo, domo eo consilio profectus est, ut in Campaniam refugeret.

“Sed a comitibus desertus, in Palatium revertit; cumque zona aureorum plena se circumdedisset, confugit in cellam ianitoris, religato pro foribus cane, atque intus lectum et culcitam obiecit.

“A militibus inrumpentibus statim inventus atque e latebris extractus est. Omnibus autem ignorantibus quis esset, mendacio fatum paulisper distulit; tum agnitus, religatis post tergum manibus, veste discissa, seminudus per forum tractus est.

“Civium interim multitudo magna sequebatur, cum acerbissimis contumeliis rerum et verborum caenum coniciens, dum eius facinora maxima voce exprobrat. Tandem prope scalas, quae Gemoniae nominantur, minutissimis ictibus excarnificatus est, et inde unco tractus in Tiberim.”

“Finem quam horribilem!” inquit Drusilla. “Talia audire mihi vix magis quam Corneliae placet.”

“Sed unum adhuc est, pater,” inquit Sextus, “quod ego non intellego. Cum primo imperator effugere conatus est, cur, obsecro, pistorem et coquum secum duxit?”

“Ceteris eius factis hoc erat par,” inquit Cornelius. “Nam semper edendi studiosus erat. Quin etiam dicitur ter et quater in die cenare solitus esse; atque interdum in viis ex popinis fumantia obsonia vel pridiana suis manibus rapiebat.”

“Iam satis est, pater,” inquit Cornelia. “De eo spero nos nihil amplius audituros esse.”

Sed iam viatores in urbem ipsam porta Appia ingrediebantur, atque liberi intenti omnia circumspiciebant. Interim redae tardius progredi coactae sunt, cum homines multi ex urbe exeuntes viam frequentabant.

Brevi Stasimus, qui cito equo praemissus erat, se obviam tulit, qui nuntiavit avunculum Drusillae domi esse, ac viatores libentissime hospitio accepturum.

Quo audito, Cornelius Drusillae: "Tu, uxor," inquit, "statim cum liberis et servis ad avunculum te confer. Mihi et Publico cum Onesimo prius ad Palatium eundum est, ut sine mora de adventu meo imperator certior fiat."

Itaque discesserunt, cum alios ad Drusillae avunculum Stasimus duceret, alii recta pergerent in Palatium. Quo ut perventum est, Cornelius, statim ad imperatorem intronissus et osculo exceptus, breviarium rationum suarum porrexit.

Tum, industria laudata, eo mandato domum dimissus est, ut semper omnia in promptu haberet, ut sine mora ex urbe proficisceretur, si quando opus esset.

Hoc negotio confecto, Cornelius cum Publico libenter se reddidit ceteris, qui interim ad Drusillae avunculum se receperant.

Deinde dies duo iucunde exacti sunt, cum viatores conspicerent omnia, quae maxime miranda in urbe erant. Tum Drusilla cum liberis rus discessit, ut parentes viseret, qui ab urbe longe circiter triginta milia passuum habitabant. Interim Cornelius cum Publico Romae morabatur, incertus quam mox imperator operam suam exigeret.

## CAPUT XXX

Parentes Drusillae scilicet summo gaudio filiam ac nepotes ad se receperunt, et maxime Lucium, quem adhuc numquam viderant. Ceteri liberi, longo itinere fessi, in agris vagantes ludendo satiari non poterant; ac Sextus animum matris magno in terrore saepe detinebat, cum aut arbores escenderet, ut avium nidos inspiceret, aut pisces in rivo capere conaretur.

Cum hoc modo dies complures acti essent, ex urbe advenit Publius, qui nuntiavit patrem adhuc iussa imperatoris expectare.

Dum omnes propter ardorem solis sub arboribus sedent, fratri Sextus: "Nuper," inquit, "de imperatore Vespasiano loquebamur, et de eo plura cognoscere velim. Nonne pater dixit eius milites Vitellium occidisse?"

At Publius: "Hic erat ille annus mirabilis," inquit, "quo quattuor imperatores populi Romani facti sunt; quorum Galba in foro a praetorianis occisus est, et Otho (ut audivisti) se ipse interfecit. Interim imperium Vitellio a militibus delatum erat; ac postremo Vespasianus quoque a suis imperator salutatus est. Quare Vitellium tollere necesse erat."

"Ipsene Vespasianus aderat, cum Vitellius occisus est?" inquit Sextus.

"Nullo modo," inquit frater. "Copias suas praemiserat; ipse autem itinere longiore in Italiam tendebat, atque aliquamdiu in Aegypto moratus est, ubi sanasse illos aegros dicitur, de quibus abhinc paucos dies loquebamur."

"Ubi agebat Vespasianus," inquit Cornelia, "eo tempore, quo a militibus imperator salutatus est?"

"Erat tum cum exercitu in Iudaea," inquit Publius, "ubi incolae seditiose se gerebant. Sed gentem illam iam paene subegerat, obsidione Hierosolymorum excepta, quam conficiendam Tito filio reliquit."

"Nisi fallor," inquit Drusilla, "de patria Annae nostrae nunc loquimini."



Adnuit Anna, quae maesta sedebat, cum suae gentis pristinae gloriae ei in mentem veniret.

Tum Cornelia: “Noli maerere, Anna mea,” inquit. “Nonne potes aliquid iucundum reminisci, quod de patria tua nobis narrare velis?”

Illa primo negabat; cum autem liberi blandius instarent, postremo: “Per fines nostros,” inquit, “fertur amnis Iordanes, qui nusquam ad mare pervenit. Unum enim atque alterum lacum perfluit, tum tertio acceptus ibi retinetur; nam hic lacus exitum nullum habet.

“Cuius lacus circuitus maximus est, et aquae sapor gustatu acerbior. Odor quoque est pestifer; neque in eo pisces ulli vivere possunt.

“Praeterea (id quod est multo mirabilius) quaecumque in aquam proiecta sunt, ea undae attollunt nec mergi patiuntur. Quin etiam homines, nandi quamvis imperiti, hic in fluctus sine metu ingrediuntur; nam mergi non possunt, ne si quidem id maxime volunt.”

“Ille certe est locus,” inquit Drusilla ridens, “ubi matribus nulla sit causa timendi, cum pueri nandi gratia abeunt. Ego autem prae metu vix me continere possum, cum prope rivum Sextus noster securus ludit.”

“Nullum est periculum, mater,” inquit Sextus. “Aqua nusquam amplius tres pedes alta est; et si quando incidero, facillime ad ripam evadere potero.” Tum Annae: “Sed plura dic, obsecro. Suntne in patria tua templa deorum magnifica?”

Quo audito, Anna paulisper tacuit. Tum maesta: “Fuit Hierosolymis templum omnium splendissimum; sed dirutum est eo bello, de quo mentio modo facta est. Intus erat sacrarium dei supremi.”

“Qua facie erat deus ille?” inquit Sextus, “aut quanta erat illius imago?”

“Nulla erat imago aut simulacrum,” inquit Anna; “et dei cultores mente sola videbant numen. Nam cives mei putabant nefas esse deorum imagines mortalibus materiis etiam hominum in species effingere.”

“Nihil umquam aeque mirabile audivi,” inquit Sextus. “Profecto nusquam alibi toto orbi terrarum mos talis inveniri potest.”

At Publius: “Erras,” inquit, “cum ita existimas. Nam apud Ciceronem scriptum est Persas templa Atheniensium ob eam causam incendisse, quod deos, quorum domus esset omnis mundus, inclusos parietibus contineri nefas putarent.

“Et aliud quoque de Vespasiano adicere possum. Nam ille, paulo priusquam imperator a suis salutatus est, ad montem venit Carmelum, qui inter Iudaeam Syriamque est, ut ibi oraculum consuleret. Hic quoque nulla est dei imago, sed ara tantum et reverentia.”

“Lacusne est usquam alius,” inquit Cornelia, “ei similis, de quo Anna modo dixit?”

“Id nescio,” inquit Publius; “sed auctor Plinius, qui de Christianis litteras illas scripsit, quaedam satis miranda de lacu sibi noto narrat.”

“Haec quoque dic, si vis,” inquit Sextus. “Audire cupimus.”

“Illo in lacu,” inquit frater, “nulla est navis; nam sacer est. Sed ubique innatant insulae parvae, in quibus sunt herbae omnis generis et arbores.

“Vento appulsae, insulae interdum litus attingunt. Tum pecora, herbas secuta, in eas quasi in extremam ripam procedunt, nec prius terram mobilem esse sentiunt quam, insula vento a litore remota, se undique aqua circumfusa vident.”

“Pecora misera!” inquit Cornelia. “Quid tum faciunt?”

“Quieta exspectant,” inquit Publius, “donec ventus rursus insulam ad terram appulit. Tum in litus progressa, nihil magis se descendisse sentiunt quam antea senserant se ascendisse.”

Dum haec dicuntur, Stasimus prope viam stabat, omnia otiosus circumspiciens. Sed iam accessit quidam senex luseus, qui: “Salve,” inquit. “Mihine monstrare potes quo modo facillime ad oppidum proximum pervenire possim?”

“Tuis ipsis pedibus, opinor,” inquit Stasimus; “nisi speras aliquem tibi equum commodaturum, Cyclops.”

Tum ille iratus: "Cave malum," inquit. "Ego sum miles veteranus; ac, si sapis, impudentiam tuam statim reprimes."

"Age, dic, senex," inquit Stasimus. "Quo modo oculum amisisti? Eumne uxer effodit, cum domum te ebrium retulisses?"

"Linguae isti temperare te docebo," inquit senex. Quae cum dixisset, collo obtorto Stasimum in viam traxit et vehementer fuste verberare coepit.

Ille autem clamores lamentabiles sustulit, ac: "Fidem tuam obsecro, Publi, me serva," vociferatus est; "Cyclops enim hic me vorare parat." Quo audito, senex etiam vehementius verberabat, donec Stasimus, dolore victus, re vera misericordiam imploravit.

Tum Publius ridens intercessit, et seni: "Maximam tibi gratiam habemus," inquit, "quod istum scelestum pro illius meritis tam strenue tu accepisti. Spero eum postea impudentiam suam magis cohibiturum."

Quae cum facta essent, senex ad oppidum versus abiit; ac Stasimus, tergum manibus fricans, intro se recepit, ut fomenta quaedam ibi quaereret.

## CAPUT XXXI

Postero die mane omnes, in agros egressi, ad collem quendam leni ascensu pervenerunt. Hic Drusilla primo dubitabat an ipsa et Anna cum Lucio escendere possent. Publius autem fratrem parvulum humeris imposuit; quo modo facile ad locum escenderunt editiorem.

Ibi paulisper in herba sederunt, cum Lucius libentissime cum cane luderet, qui ex villa clam subsecutus erat. Omnibus ex partibus colles alii surgebant; ac Publius, eorum, qui in conspectu erant, editissimum digito demonstrans: "Etsi nunc aestas est," inquit, "ille collis me admonet de eis versibus lepidis poetæ Horati Flacci:

Vides ut alta stet nive candidum  
Socrate, nec iam sustineant onus  
Silvæ laborantes geluque  
Flumina constiterint acuto."

"Putasne," inquit Sextus, "poeta ipse umquam colles his similes vidisse?"

At frater: "Maxime vero. Quin etiam haud longe hinc abest regio, ubi ille fundum Sabinum suum habebat; ac fortasse hos ipsos colles saepe vidit."

"Quid!" inquit Sextus. "Isne agricola quoque erat?"

"Nihil minus," inquit Publius. "Sed urbis strepitu defatigatus huc se recipiebat, ut otiosus legere aut scribere posset." Tum ridens, et ad Corneliam respiciens: "Narrat poeta, cum in silva sua olim vagaretur inermis, subito lupum ingentem se obviam tulisse."

"Pèrii!" inquit Cornelia, timide omnis in partes circumspiciens. "Spero hodie talia monstra non hic vagari."

"Quietus es animo," inquit Sextus, humo exsiliens; "aut lupum aut ursam, si prodeat, ego statim occidam."

Tum Publius illudens: "Quo modo id efficere poteris, obsecro? Venabulum enim tecum adferre oblitus es."

Hoc audito, omnes adriserunt. At Sextus rubescens: "Tu autem ipse modo dixisti," inquit, "poetam inermem fuisse, cum lupus obviam se ferret. Quo modo ille monstrum fugavit?"

Ac Publius: "Lupus," inquit, "mirabile dictu, simulac poetam aspexit, sua sponte tergum vertit et in latebras se recepit absconditas."

"Specie horrenda oportet poetam fuisse, qui monstrum tam dirum facie ipsa abigere posset," inquit Drusilla.

His verbis etiam Sextus invitus ridere cogebatur, cum subito in fratrem clamore maximo se praecipitavit.

"Age, dic, Sexte," inquit mater consternata: "quid tibi male est?"

Ille, cum vix se magno ex terrore recreasset, singultu vocem interpellante dixit se imprudentem in herba serpentem pede pressisse.

Quae cum audita sunt, omnes celeritate summa exsiluerunt, atque Anna Lucium tam subito arripuit ut ille territus fleret, canis autem circumsiliens vehementer latraret.

Interim Publius, qui fuste arrepto serpentem quaerere coeperat, in herba nihil invenit nisi ramum aridum. Quo sublato, ad ceteros ridens se recepit.

Sextus, quem vani timoris sui maxime pudebat, fletum vix continere potuit. Ac mater, quo facilius memoriam rei tam iniucundae ille deponeret: "Agite, liberi," inquit, "quaedam de amicis duobus narrare vobis volo."

Quare, cum iam omnes ad audiendum parati sederent, ita exorsa est: "Olim erat vir, nomine Phintias, qui tyranni Dionysi interficiendi consilium inierat.

"Coniuratione detecta, Phintias capitis damnatus tyrannum oravit ut poena paucos dies differretur; se enim abire velle, ut amicorum fidei salutem propinquorum suorum commendaret.

"Quae facultas a tyranno ea condicione data est, ut Damon quidam, Phintiae amicus et aequalis, pro ipso interim teneretur in custodia, ac, si Phintias vadem deseruisset, pro amico ad mortem duceretur. Condicione accepta, Damon se dedit in custodiam, Phintias ad rem suam curandam abiit.

“Dionysius scilicet existimabat Phintiam, semel e custodia dimissum, numquam rediturum esse. Cum autem ille ad horam constitutam adesset, ut vadem suum liberaret, tum tyrannus, tanta constantia obstupefactus: ‘Utinam,’ inquit, ‘tertius vobis amicus adscribi possem!’”

“Haec est fabula periucunda,” inquit Cornelia; “et tibi, mater, gratias maximas agimus.” Tum ad Annam conversa: “Nonne tu quoque, Anna, aliquid nobis hodie narrabis?”

At illa: “Modo, dum in colle sedeo,” inquit, “cogitabam de tempore illo, quo terra tota fluctibus submersa est, et homines pecudesque una cum omnis generis feris in montes altissimos refugere sunt coacti.”

“De hoc perge porro dicere,” inquit Sextus. “Aquam amo; sed tum satis superque fuisse videtur.”

“Scriptum est in sacris libris nostris,” inquit Anna, “priscis temporibus propter scelera hominum deum iratum orbem terrarum aqua submergere constituisse genusque humanum totum tollere.

“Unus tamen erat homo, Noa nomine, qui tanta sanctitate aetatem egerat, ut cum uxore et liberis ex interitu universo eximeretur. Cui deus imperavit ut arcam institueret ingentem, qua ipse cum suis mortem effugeret, cum aquae insurgere coepissent.

“Huc coacta sunt bina animalia omnis generis, intusque multorum dierum frumentum et pabulum condita sunt. Cumque iam imbres maximi essent coorti, caelumque ruina casurum videretur, tum Noa cum suis in arcam se recepit; ceteri autem homines, ut undas insurgentes effugerent, cum feris territis in montes refugerunt.

“Amplius centum dies tempestates continuabantur, atque etiam summos montes gurgite obruti sunt. Omnia igitur, quae animam vitalem carpebant, perierunt, nec quidquam nisi aqua usquam aspici potuit.

“Tum denique imbres cohibiti sunt, atque aquae recedere coeperunt. Sic arca ad cacumen montis maximi appulsa est; ac postremo columba, a Noa emissa, sub vesperum rediit rostro

tenens folium virens. Quo signo ille laetus cognovit aquas plane subsedissee.

“Itaque cum suis ex arca egressus, aram extruxit, atque ex animalibus, quae secum conservaverat, hostiis mactatis, gratias egit deo, quod se suosque tam mirabiliter servavisset.”

“Simile quiddam est,” inquit Publius, “apud Ovidium. Nam tradit ille Iovem, hominum sceleribus commotum, in animo habuisse genus humanum igni delere.

“Tum autem, veritus ne ita caelum quoque flagraret, consilium vertit atque in terras imbres maximos demisit, cum prius fratrem Neptunum cohortatus esset, ut omnibus fluminibus quoque laxas habenas daret.

“Quo modo terrae omnes aquis obrutae sunt, atque homines cum pecudibus et feris undique moriebantur. Ut autem poetae ipsius verba referam:

Nat lupus inter oves, fulvos vehit unda leones,  
 Unda vehit tigres; nec vires fulminis apro,  
 Crura nec ablato prosunt velocia cervo.  
 Quaesitisque diu terris, ubi sistere detur,  
 In mare lassatis volueris vaga decidit alis.  
 Obruerat tumulos immensa licentia ponti,  
 Pulsabantque novi montana cacumina fluctus,  
 Maxima pars unda rapitur; quibus unda pepercit,  
 Illos longa domant inopi ieiunia victu.”

“Hominesne omnes ita periisse hic quoque auctor dicit?” inquit Cornelia.

“Duo tantum servati sunt,” inquit frater. “Nam rate parva Ducalion cum uxore Pyrrha ad montem altissimum delatus, ibi incolumis mansit, donec aquae recesserunt.”

At iam Drusilla: “Ardor solis maior fit,” inquit, “et ad tectum regrediendum est. Sed hic certe est locus amoenus, et gaudeo nos hodie huc venisse.”

Quae cum dicta essent, Publius iterum Lucium sustulit, atque omnes leniter e colle descenderunt.”

## CAPUT XXXII

Paulo post meridiem, Sextus, qui latius per fundum vagatus erat, ad tecta celeriter se recepit, ut matrem certiolem faceret se Onesimum appropinquare vidisse.

Quo cognito, omnes cupide foras egressi Onesimum iam ex equo descendentem offenderunt. Qui statim ad Drusillam progressus: "Salve, domina," inquit. "A Cornelio litteras hodie scriptas adfero."

"Naviter fecisti," inquit Drusilla, "qui tanto aestu iter longum tam celeriter confeceris. Litteras trade, ac te in culinam confer, ubi quod edas invenies."

Litteris traditis, Onesimus statim tectum introiit; ac Drusilla, cum omnes intenti exspectarent, epistolam solvit, cuius exemplum infra scriptum est:

"Cornelius Drusillae Suae s. p. d.

"Si valetis omnes, ego valeo. Litteras dabam, quod hodie mane mandata ab imperatore ad me delata erant, ut intra tres dies ad Galliam versus proficisci paratus essem.

"Adhuc nescio cur in eas regiones mittar. Cum autem liberi nostri numquam illa loca viserint, fortasse vos mecum Comum usque iter facere voletis, ubi est Gnaei fratris villa.

"Tum, si mihi ipsi longius progrediendum erit, vos interim apud fratrem manebitis, dum redeo. Amoenissima est illa pars Italiae, et ibi in conspectu Alpes sunt. Si porro in menses hibernos tempus tractum erit, liberi nive et glacie profecto delectabuntur.

"Quare, si me comitari vultis, ad urbem statim redite; si minus, Onesimus ad me mittatur, ut sciam qui facturi sitis. Cura, mea lux, ut valeas, et liberos nostros ames. Vale.

Dabam Roma, Id. Iun."



Cum haec audita essent, gaudio exsiluerunt liberi, ac clamore maximo matrem oraverunt, ut statim abirent. Illa autem ad Publium conversa: "Quae tibi est sententia, mi fili?" inquit.

"Suadeo ut patrem comitemur," inquit ille. "Haec enim est occasio optima illius regionis visendae, neque existimo aliam mox oblatum iri."

Re ita constituta, servis imperatum est ut omnia ad iter faciendum pararent; ac liberi mature cubitum ierunt, ut alacres mane proficiscerentur.

Dum redis postero die celeriter ad urbem versus vehuntur, Publio Cornelia: "Nuper," inquit, "cum Romae essemus, aedificia splendida et vias latissimas vix satis mirari potui. Etiamne ab initio erat urbs tam magnifica?"

"Nullo modo," inquit frater; "nam antiquitus multo minor fuit, atque humillima erant aedificia. Quin etiam traditum est Romulum occidisse Remum fratrem, quod muros irridens leviter transiluisset. A Gallis illa urbs prisca magna ex parte igni deleta est."

"Nonne vis de hac clade amplius dicere?" inquit Sextus.

Ac Publius: "Haud procul ab urbe Romani magno proelio a Gallis victi sunt; cumque urbs ipsa non diutius defendi posset, decretum est ut pauci, armis et frumento collato, in Capitolium concederent, ceteri autem, per agros dispersi, oppida peterent finitima.

"Nonnulli autem senes consulares, qui fugere se indignum esse putarent, veste splendidissima induti, per vestibula aedium suarum in sellis consederunt eburneis; quos cum vidissent, Galli primo mirantes constiterunt. Tum vero unus ex eis dicitur barbam cuiusdam senatoris manu sua tetigisse; senex autem iratus scipione eburneo caput Gallo percussit.

"Ab hoc igitur initium caedis est factum, atque urbi faces admotae sunt, cum interim praesidium parvum, ex Capitolio caedem incendiaque obstupefactum prospiciens, opem ferre poterat nullam. Collem autem ipsum, Galli, etsi semel atque iterum impetum fecerunt, nullo modo capere potuerunt."

“Postquam bellum ad finem est adductum,” inquit Sextus, “regiumne in modum urbs restituta est?”

“Immo vero,” inquit frater, “temere et raptim exstructae sunt aedes. Saxa et materiem, unde quisque volebat, sumere licuit; et sine ratione certa ac promiscue aedificia sunt collocata. Sic factum est, ut, viis antiquis opertis et neglectis, veteres cloacae, olim per publicum ductae, nunc privata passim subeant tecta.”

At Sextus: “Ego igitur vix intellego,” inquit, “quo modo e venerit ut urbs nunc tam splendida sit.”

“Augustus urbis adornandae initium fecit,” inquit Publius, “neque obliviscendum est sub Nerone iterum incendium ingens exarsisse, quo multa deformia igni obruta sunt.”

“Denuo iste Nero atrox!” inquit Cornelia. “Hoc, credo, fuit tempus, quo ille suam culpam in Christianos miseros contulit. Nihil profecto tam erat inhumanum et crudele, quod ille non cupide faceret.”

“Erat certe imperator minime laudandus,” inquit frater ridens. “Audivistine eum semel atque iterum matrem interficere conatum esse?”

“Hoc quidem non audivi,” inquit Cornelia; “sed facile credo rem ita se habuisse.”

At Publius: “Multi tum id pro certo credebant; ac postquam eius mater mortua est, hi versus sine nomine propositi sunt:

Quis negat Aeneae magna de stirpe Neronem?  
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.”

“Hahaha!” inquit Sextus. “Profecto ille audacissimus erat, qui volebat etiam sine nomine talia proponere. Sed ut ad priora redeamus, verumne est Neronem ipsum Romam incendisse?”

“De hoc haud satis liquet,” inquit frater; “etsi dicitur ille deformitate veterum aedificiorum et angustiis flexurisque viarum offensus esse; ac fama est eum, dum incendium saevit, e turri propinqua prospicientem cantu se delectasse.

“Sed quocumque modo haec res se habet, per sex dies septemque noctes flammae arserunt, ac plebs inops, ex domiciliis exturbata, etiam sepulchris pro tectis uti coacta est.

“Postea, locis purgatis, aedificia exstructa sunt non (ut post Gallicum incendium) passim et promiscue, sed dimensis vicis et viis latissimis. Haec est urbs splendida, quam tu tantopere admiraris.”

Dum haec narrantur, viatores celeriter ad urbem versus progrediebantur; ac sub vesperum plane defatigati ad Drusillae avunculum deverterunt, ubi libenter a Cornelio recepti sunt.

## CAPUT XXXIII

Mane ab imperatore adlatae sunt litterae obsignatae cum mandato, ne prius solverentur quam Placentiam usque ventum esset. Quibus litteris acceptis, Cornelius servis imperavit ut omnia ad iter postero die faciendum parata haberent.

Interim Publius Sextum abduxit, quo propius aspiceret monumenta fori et Campi Martii; nam ei et Corneliae, morae impatientibus, nihil longius videbatur quam dum in redas iterum escendere liceret.

Cum postero die proficiscerentur, patri Sextus: "Qua via, pater, ab urbe discedemus?"

At ille: "Via Flaminia iter facturi sumus," inquit; "brevique Tiberim ponte Mulvio transibimus."

"Ibi, nisi fallor," inquit Sextus, "comprehensi sunt legati Allobrogum, quibus Lentulus frustra persuadere conatus erat, ut cum Catilinā se coniungerent."

"Recte dicis," inquit pater; "ac per litteras, quae in eo comitatu erant, Cicero consul patefacere potuit consilia impia, quae contra rem publicam mente scelerata cives nefarii inierant."

Tum Publius: "Nonne sunt qui existiment Ciceronem laudibus nimis suas res gestas extulisse?"

"Nemo dubitat," inquit pater, "quin ille fuerit vir egregius, qui patriam suam unice amaret; sed certe gloriae nimis avidus erat; ac fecisset rectius, si aliis laudes dicendas reliquisset suas. Quin etiam tam multa de coniuratione a se detecta scripsit, ut vere diceret Seneca philosophus: "Consulatus non sine causa sed sine fine laudatus"."

"De hoc ipso consulatu," inquit Publius, "nonne Cicero poema quoque longissimum fecit?"

"Res ita se habet," inquit pater; "et alios versus interdum scribebat, quibus invidiam maximam sibi conflavit. In his erat notissimus ille:

O fortunatam natam me consule Romam!"

“Eugepae!” inquit Publius. “Versum quam ineptum! Confido meliores facere etiam me ipsum posse.”

“Sive meliores sive peiores versus tu facies,” inquit pater, “spero saltem te nihil scripturum tali iactantia deformatum.”

Dum haec dicuntur, redae celeriter provehebantur, ac iam in conspectu erat pons; quo cum flumen transissent, Cornelius: “Iam brevi,” inquit, “per Etruriam iter faciemus.”

“Haud procul igitur abesse oportet oppidum Veios,” inquit Publius. “Multa de bellis, quae cum Veientibus maiores nostri gesserunt, apud Livium nuper legi; ac de gente Fabia unum maxime notabile ita repperi.”

“Narra, sis, frater,” inquit Sextus, “dummodo res satis cruenta sit.”

“Satis sanguinis certe effusum est,” inquit Publius. “Sed, ut a principio exordiar, illo tempore, de quo dico, Romani non modo cum Veientibus sed etiam cum populis aliis bellum gerebant; ac Veientes licenter agros nostros populabantur.

“Quare Fabia gens senatum adiit, et consul Caeso Fabius pro gente orationem huius modi habuit: ‘Haud magnis copiis bellum Veiens eget. Vos cetera bella curate, Veientes autem nobis tradite. Hoc bellum suscipiet gens Fabia, et suo sumptu ad finem adducet’.

“Quo audito, senatus gratias maximas Fabio egit; cumque ille consul, comitante Fabiorum agmine, domum redisset, res celeriter omnes in partes urbis est delata, atque undique laudibus summis Fabii ad caelum elati sunt.

“Postero die arma illi capiunt; ac consul domo egressus gentem omnem suam instructo agmine vidit. Numquam exercitus aut numero minor aut fama clarior per urbem incessit; nam sex et trecenti milites, omnes patricii, omnes unius gentis, tum ad bellum progrediebantur.”

“Gentem vere egregiam!” inquit Cornelia. “Bonis auspiciis, ut spero, certamque ad victoriam proficiscebantur.”

“Dis aliter visum est,” inquit frater. “Nam etsi Romani primo rem feliciter gesserunt, postremo in insidias delati paene

omnes proelio perierunt. Quin etiam memoriae traditum est unum tantum puerum vix puberem inde incolumem evasisse."

Tum Drusilla: "Corneliae nostrae," inquit, "cum talia narrantur, maestitia magna semper inicitur. Nonne aliquid laetius narrare potes, mi fili?"

"Experiar," inquit Publius. Tum Corneliae: "Vide hoc si magis placet: Multis post annis quam ea facta sunt, quae modo dixi, Veientes a Camillo sunt devieti, eorumque urbs direpta est. Cumque hominum opes ex oppido ablatae essent, deinde Romani deos ipsos asportare coeperunt.

"Quare iuvenes lecti, candida veste induti, quibus deportanda Romam regina Iuno attributa erat, deam venerantes templum eius intraverunt. Ibi cum ex eis unus: 'Visne Romam ire, Iuno?' dixisset, adfirmant eam adnuisse.

"Quocumque modo haec res se habet, imago facile et quasi volens ad urbem in collem Aventinum delata est, ubi deae Camillus templum, quod voverat, maximo sumptu postea dedicavit."

"Haec meliora sunt," inquit Cornelia; "sed etiam nunc fata iniqua Fabiorum mentem meam tristi cogitatione confundunt."

"At," inquit pater, "posterius illius pueri, qui cladi superfuit, saepe opera sua maxime adiuverunt patriam; ac multa ab eis egregie facta commemorari possunt."

"Ea libenter audiam," inquit Cornelia, "nisi tristitia sunt."

"Audi igitur," inquit pater: "Eo tempore, cum Galli, per Italiam vagati, incendissent urbem et praesidium Romanum in Capitolio a ceteris relictum undique obsiderent, iuvenis quidam ex Fabio gente facinore praeclaro oculos et civium et hostium omnium in se convertit.

"Nam Fabiae gentis erat sacrificium statum in Quirinali colle; quod ad curandum C. Fabius, sacra manibus ferens, de Capitolio descendit et per medias hostium stationes leniter ad locum constitutum progressus est.

“Ibi rebus omnibus rite peractis, constanti gradu, haud frustra sperans deos propitios futuros, quorum cultum ne mortis quidem metu prohibitus deseruisset, nullo prohibente ad suos rediit.

“Interim enim Galli queti aspiciebant, sive quod tanta audacia erant obstupefacti, sive quod etiam religione movebantur, cuius ne haec quidem gens est omnino neglegens, nec vero sine causa. Nam vere dictum est: ‘Deorum iniuriae dis curae sunt’.”

“Sed nunc,” inquit Sextus, “ut ad alia veniam, iam dudum factum est, cum Publius ullos versus suos recitavit. Nihilne nuper scripsisti, Publi?”

“Nihil,” inquit ille; “sed modo legebam carmen egregium poetae Horati Flacci de Insulis Fortunatis, quas (ut ipse dicit) Iupiter genti piaeposuit.”

“Hoc audiamus,” inquit Sextus.

“Totum memoria vix teneo,” inquit ille; “sed hi sunt versus aliquot:

Mella cava manant ex ilice, montibus altis  
 Levis crepante lympha desilit pede.  
 Illic iniussae veniunt ad mulctra capellae,  
 Refertque tenta grex amicus ubera,  
 Nec vespertinus circumgemit ursus ovile,  
 Neque intumescit alta viperis humus;  
 Nulla nocent pecori contagia, nullius astra  
 Gregem aestuosa torret impotentia.”

“Optime,” inquit pater. “Vellem me quoque tam multa meminisse posse.”

Dum haec fiunt, per loca amoena via ferebat; cum autem hora fere nona oppidum Falerios perventum esset, viatores libenter ad cauponem deverterunt.

## CAPUT XXXIV

Nondum aderat cenae tempus; quare liberi paulisper otiosi vagabantur, cum nescirent quid potissimum facerent. Tum Sextus: "Multos dies Onesimus omnino nihil nobis narravit. Eum adeamus, si forte nunc aliquid recordari possit."

"Fiat," inquit Cornelia. "Semper enim ille dicit digna, quae audiantur."

Quos ubi appropinquantes vidit, Onesimus: "Cur vos sic languidos video, liberi? Ludendo tam cito defatigati estis?"

"Ita vero," inquit Sextus; "nec nunc habemus quid potissimum faciamus. Nonne tu vis aliquid nobis narrare, quo celerius tempus abeat?"

Tum ille: "Hae rationes, quas videtis, prius conficiendae sunt. Postea, si interim mihi molesti non fueritis, experiar quid facere possim."

Quo audito, liberi discesserunt. Sed paulo post, cum iterum conclave intrassent, se exspectantem Onesimum invenerunt, qui: "De Milone, athleta nobilissimo," inquit, "fabulas vobis nar-rabo, si audire vultis."

"Miror," inquit Sextus, "isne fuerit homo tantis viribus quantis fuit Hercules aut ille Samson, de quo olim Anna nobis quaedam miranda narravit."

"Milo quidem," inquit Onesimus, "satis validus profecto erat; qui etiam dicitur olim Olympiae per stadium ingressus esse, cum humeris sustineret bovem."

"Papae!" inquit Sextus. "Vellem hoc ego vidissem. Sed vix intellegere possum, quo modo homo onus tantum sustinere potuerit, etsi viribus maximis erat."

"Memoriae traditum est," inquit Onesimus, "Milonem primo vitulum hodie tulisse, neque id intermisisse facere, donec vitulus esset bos factus. Sic onus semper maius sustinere potuit, quod ipsius vires pariter crescebant."

"Callidus certe erat," inquit Cornelia, "qui se tam scienter exerceret."



“Aliud quoque de eo narrare possum,” inquit Onesimus  
 “quod fortasse vobis etiam notabilius videbitur.”

“Quid est?” inquit Sextus. “Audire cupimus.”

At ille: “Milo olim, cum iam senior per loca silvestria solus iter faceret, arborem conspexit, quae cuneis fissa erat. Qua animadversa, cum vellet experiri num vires pristinae adhuc integrae essent, digitis in rimam arboris insertis, robur diducere conatus est.

“Ac’mediam quidem partem divellit. Cum autem manus laxasset (ratus se iam perfecisse, quod conatus erat), arbor, quae duas in partes diducta erat, subito in locum rediit, manusque hominis arte compressit.

“Res iam in summum discrimen est adducta; nam senis infelicis vires defecerant, nec ullo modo arborem iterum diducere aut manus suas revellere potuit. Quare, a feris ibi repertus, foede dilaniatus est, cum non diutius se defendere posset.”

“Eheu!” inquit Cornelia. “Omnes, de quibus audio, exitus miseros invenire videntur.”

At iam Publius, qui modo conclave intraverat: “Quid est, soror mea,” inquit, “quod nunc tibi molestum est?”

“De quodam athleta claro,” inquit Cornelia, “fabulam audiebamus; qui miser, iam senex factus, in silvis a feris occisus est.”

“Ego quoque de athleta quodam aliquid narrare possum,” inquit Publius, “nisi iam satis superque de eius generis hominibus audivistis.”

“Perge porro dicere,” inquit Sextus. “Ego saltem audire volo.”

Tum frater: “Polydamas, athleta nobilis, dicitur olim tempestate subita in speluncam cum comitibus aliquot refugere esse coactus. Sed brevi aquae incursu spelunca ipsa labefactari coepta est, ac comites, ruinam veriti, celeriter foras se proiecerunt.

“Ipse autem Polydamas intus solus resistebat, humeris validis se molem quamvis magnam sustinere posse ratus. Quae res eum multum fefellit; nam onere humano corpore potentiore elisus est.”

“Haec quoque tristia sunt,” inquit Cornelia. “Sed istius hominis me minus miseret, quod in eo tanta erat stultitia.”

“Aliud est simile apud Tacitum,” inquit Publius; “etsi ibi de milite, non de athleta agitur.”

“Hoc quoque,” inquit Sextus, “libenter audiemus.”

Tum frater: “Olim, cum imperator Tiberius cum quibusdam comitibus in spelunca cibum caperet, subito delapsis saxis quidam ex servis obruti sunt.

“Convivae ceteri, metu percussi, summa celeritate e spelunca fugerunt; Seianus autem, genu et manibus super Tiberium suspensus, saxis incidentibus se opposuit, atque tali habitu repertus est a militibus, qui celeriter subsidio venerunt.”

“Ambone erant elisi,” inquit Cornelia, “cum a militibus reperti essent?”

“Nullo modo,” inquit Publius; “quin etiam incolumes ambo e spelunca educti sunt. Sed postea Seianus contra Tiberium coniurationem fecit, cum speraret se ipsum a militibus imperatorem salutatum iri. Propter haec a senatu capitis damnatus est.”

“Denuo exitum miserum!” inquit Cornelia. “Vellem Seiani facinus solum egreium audissemus.”

“Cum de speluncis modo mentionem fecerimus,” inquit Publius, “fabulamne umquam audivistis de pastore, qui anulum aureum sub terra repperit?”

“Credo me numquam audivisse,” inquit Cornelia. “Narra, sis, dummodo eventus minus tristis sit.”

Tum frater: “Tradunt quendam Gygem, regionum pecorum pastorem, in speluncam imbribus factam descendisse, ibique invenisse aëneum equum, cuius in lateribus fores essent. Quibus patefactis corpus hominis mortui intus inventum est anulusque in digito.

“Quo celeriter detracto, Gyges, e spelunca egressus, in pastorum concilium se recepit; ubi res nova, improvise oblata, eum admiratione maxima defixit. Nam, cum palam anuli ad palmam suam converterat, a nullo poterat cerni, ipse autem omnes videbant; cum vero eam in locum inverterat, rursus poterant omnes eum cernere.

“Quare, opportunitate anuli usus, reginam convenit, cum ea coniurationem contra regem fecit, occiditque omnes, quos consiliis suis officere putabat; neque in his facinoribus quisquam eum videre potuit. Quo modo anuli beneficio rex ipse brevi factus est.”

“Heia!” inquit Sextus. “Quam vellem ego quoque anulum similem invenire possem!”

“Quid tum faceres,” inquit Cornelia, “si haberes?”

At ille: “Modo in deversorio servos audivi,” inquit, “cum inter se loquerentur de latronibus, qui dicuntur omnibus in partibus Etruriae vagari. Anulum talem si haberem, nihil inde timendum esset; nam sicubi illi scelesti subito in nos impetum facerent, medios in eos cum gladio inruerem, ubi, nullo cernente, stragem ederem maximam.”

“Prudentiam tuam laudo,” inquit Publius ridens. “Sed iam Stasimum appropinquantem video, et cenae tempus credo adesse. Eamus.” Quo audito, liberi libenter secuti sunt.

## CAPUT XXXV

Postero die, cum iam omnia ad iter faciendum parata essent, Drusilla, foras egrediens, forte limen pede offendit; quo casu paulum afuit quin in caput praecipitaretur. Quae: "Eheu!" inquit. "Omen quam infaustum! Profecto di nos vetant hodie iter facere."

"Noli tam facile perturbari," inquit Cornelius. "Haec omnia sunt fortuita; nec nos decet religione vana terri. Audacter in redam escende. Simulatque iter facere incipiemus, tu non diutius hoc memineris."

Tali hortatione inducta Drusilla in redam escendit, etsi mens eius adhuc omine infausto sollicita erat. Cornelius autem, quo facilius uxoris animum a curis talibus sevocaret, praetervolantes aquilas quasdam demonstrans: "Aspice," inquit, "omen pulcherrimum. Romanae aves, quasi duces viae, praeceunt; optimis certe auspiciis eas sequimur."

"Mihi recordari videor," inquit Publius, "omen simile extitisse eo tempore, cum pars exercitus Vitelliani e Germania in Italiam profectura esset."

"Recte dicis," inquit pater. "Nam, ut est apud Tacitum, ipso profectionis die aquila leni volatu, ut agmen progrediebatur, quasi dux viae praevolavit. Qua animadversa, milites clamores maximos sustulerunt; sed avis, ne hoc quidem tumultu territa, diu agmen leniter antecedere perseveravit."

"Apud Suetonium," inquit Publius, "est aliud multo magis mirandum. Nam nuper legi, cum Livia Augusta praedium suum Veientanum olim reviseret, aquilam praetervolantem in eius gremium demisisse gallinam albam, quae ramulum lauri rostro teneret.

"Cumque nutrirī gallinam ramulumque pagni Liviae placuisset, tanta gallinarum suboles provenit, ut postea ea villa 'ad Gallinas' vocaretur, tale vero lauretum, ut inde ramulos Caesares triumphaturi decerperent.

“Quotienscumque arbor discerpta erat, altera eodem loco pangebatur. Et observatum est sub cuiusque imperatoris obitum arborem ab ipso institutam elanguisse. Novissimo igitur Neronis anno silva tota radicitus exaruit, omnesque gallinae illae perierunt; nam progenies Caesarum in Nerone defecit.”

Dum his et talibus se oblectant, etiam Drusilla curas suas paulum remisit; cumque iam fere quindecim milia passuum fecissent iter, liberi, qui male esuriebant, patrem oraverunt, ut equos consistere iuberet, sub arboribus ut cibum ederent quem corbulis secum portavissent.

Potestate facta, omnes libenter ex redis descenderunt ac mox per herbam otiosi dispositi sunt. Liberi, cibo consumpto, longius vagati erant, quo latius loca explorarent, cum subito Sextus maximo clamore e silva parva erupit, ac quantum celeritate potuit ad redas tendebat.

“Perii!” inquit Drusilla, perterrita exsiliens. “Ubi est Cornelia? Me miseram! Nescio quid mali puellae accidit! Haud falso praedixi hunc diem nobis infaustum fore! O me miseram! Quo me vertam?”

Interim Cornelius et Publius cum servis obviam Sexto properaverant, ut liberis opitularentur, si quid opus esset. At Sextus, cum patris complexu receptus esset, primo prae metu nihil omnino enuntiare potuit. Tum, singultu vocem interpellante, dixit duos homines, qui subito ex arborum umbra exsiluissent, Corneliā arreptam in silvam densiorem secum abstulisse.

Quo audito, omnes sine mora in silvam se praecipitaverunt; ubi autem, etsi longe et late quaerebant, puellae vestigium reperire potuerunt nullum. Quare ad redas reversi inter se breviter consuluerunt, quid iam optimum factu esset.

Interim Drusilla dolore paene amens, veste discissa ultro citroque cursitabat, se suosque omnes vehementer incusans quod omine tam manifesto non admoniti essent et deis invitis iter facere eo die perseverassent.

Cui tandem Cornelius: “Noli desperare, uxor,” inquit. “Sine dubio hi homines latrones sunt; sed pecunia tantum opus est, qua filia redimatur. Puellam ipsam laedere non volent.”

At iam subito Publius: "Quid est hoc," inquit, "quod video? Nonne procul est mulier, quae aliquid nobis manu significare conatur?" Quae cum diceret, digito monstrabat saxum, in quo stabat mulier, quae modo diversa ex parte silvae egressa erat.

"Ita est, ut tu dicis," inquit Cornelius. "Mulier manu aliquid tenere videtur, quod nunc in saxo ponit. Iam autem in silvam se recepit. Tu, Publi, cum Onesimo et Stasimo ad saxum propera, ut statim sciatur quid sit id, quod ibi ab ea relictum est." Quo audito, illi celeriter abierunt.

In saxo inventa est charta, litteris cruentis inscripta, quam Stasimus effuso cursu ad dominum rettulit. Charta raptim perlecta, Cornelius enuntiavit filiam a latronibus captam esse, qui sponderent se puellam incolumem parentibus tradituros, si intra dies tres pater inermis sine comite ad saxum illud triginta sestertia adferret, quibus filia redimeretur; aliter puellam gladio occisum iri.

Quae ubi cognita sunt, Drusilla ululatu acri in terram cecidit, ibique exanimata iacebat. Quam cum Anna curaret, Stasimo Cornelius imperavit ut summa celeritate contenderet ad oppidum Narniam (quod iam haud procul aberat), ut inde equos citos adduceret.

Tum, Drusilla in redam sublata, omnes maesti ad oppidum profecti sunt. Sed dimidium viae vix confectum est, cum occurrit Stasimus cum equis recentibus.

Hos ipsi et Onesimo tradidit Cornelius, cum mandato ut Romam quam celerrime properarent, ut inde reportarent pecuniam, qua iam opus esset; ne diem noctemve intermitterent, neve aut sibi aut equis parcerent.

Servi libenter cursu incitato abierunt. Cornelius autem cum ceteris in oppidum perrexit, ubi nox sollicita et inquieta exacta est.

Sed mane praeter opinionem Onesimus et Stasimus praesto fuerunt, qui nuntiaverunt se in itinere obvios factos esse cuidam Tullio, amico Corneli, qui pecuniam grandem secum portaret, qui que mutuum dare vellet quodcumque ad puellam liberandam opus esset.

Quo audito, omnes gaudio et spe suspensi, adventum Tulli cupide exspectabant. Qui, cum hora fere quarta pervenisset, crumena soluta, Cornelio triginta sestertia in mensa numeravit.

Tum ille cum Stasimo solo profectus, ut ad locum pervenit ubi redae pridie constiterant, ibi servum quoque reliquit et inermis ad saxum constitutum progressus est.

Iam subito e silva signum est auditum, latroque ingens e latebris ad saxum recta processit. Qui cum vidisset Cornelium inermem pecuniam attulisse, signum alterum dedit, ac mulier Corneliam e silva produxit.

Dum illa, gaudio elata, in complexum patris se praecipitat, latro, pecunia arrepta, in silvam cum muliere celeriter rediit; utque primum Cornelius et filia se circumspexerunt, nemo iam in conspectu erat.

Quo animadverso, Cornelius: "Age, filia mea," inquit; "adde gradum. Stasimus cum equis haud procul exspectat; ac brevi in gremio eris matris, quae nunc in deversorio metu exanimata iacet."

Quae cum diceret, Corneliam ad equos ducebat; quibus celeriter in oppidum provecti, ab omnibus summo gaudio accepti sunt; ac mater et filia in lacrimas effusae, mutuo amplexu tenebantur.

## CAPUT XXXVI

Cum iam omnia tuta et tranquilla essent, Tullio gratias maximas egit Cornelius, quod tam benigne pecuniam mutuam dederat. Ille autem: "Libentissime dedi," inquit, "et gaudeo ita evenisse ut tibi subvenire possem. Spero Corneliae et fuisse et nunc bene esse."

"Ita vero," inquit Cornelius. "Quin etiam dicit a latronibus se multa comitate acceptam, nec sibi quidquam curae fuisse nisi quod a suis seiuncta esset. Sed, Tulli, quo tu iter faciebas, cum obviam tibi fierent Onesimus noster et Stasimus?"

"Ravenna itineris mei finis est," inquit Tullius. "Sed hic nunc est manendum, donec comites, qui Romae paulisper morati sunt, me consequi possint."

"Male hercle nuntias," inquit alter. "Nam sperabam te fortasse nobiscum una iter facturum. Sin autem hic aliquamdiu est manendum, ego statim Romam tabellarium dimittam, ut pecunia, quam debeo, sine mora solvatur; mane enim hinc nobis proficiscendum est."

Interim Sextus, qui putabat se in contemptum omnibus venisse, quod pridie sororem defendere non conatus esset, vix in publicum prodire audebat, ne ludibrio haberetur. Omnes tamen Corneliae salute tantopere gaudebant, ut nemo illum castigare vellet.

Brevi Drusilla nuntiat filiam dormire, ac coniugi: "Pro temeritate nostra," inquit, "profecto poenas maximas dedimus. Deorum benignitate filiola nostra salva est; sed vellem ne hoc iter infelix nos umquam suscepissemus."

"Quae nunc tibi sententia est?" inquit Cornelius. "Visne inceptum iter deserere et Romam statim reverti? Sperabam loci mutationem vobis gratam fore; sed si ita sententia est, tu et liberi Romae morari potestis, donec e Gallia redeo."

"Sine te iter retro per Etruriam invita faciam," inquit uxor. "Si quid enim mali ita liberis acciderit, postea huius consili



semper me paeniteat. Quare censeo iter inceptum peragendum esse, etsi liberos nusquam e conspectu meo dimittam."

"Te laudo," inquit Cornelius; "sed credo e liberis aliam molestiam talem te non capturam; nam posthac multo cautius ignotis in locis vagabuntur."

Quo dicto, alii in aliam partem discesserunt; ac plerique usque ad cenae tempus se quieti dederunt, quod nox proxima magna ex parte vigiliis consumpta erat.

Postero autem die omnes recentes et hilari redas con-scenderunt; cumque Tullio amico 'vale' dixissent, ex oppido profecti, ante meridiem amplius quindecim milia passuum progressi sunt. Tum paulisper constiterunt, ut famem cibo depellerent, cum equi alii quaererentur.

Quibus adductis, viatores sine mora iterum profecti sunt, cum sperarent se eodem die Nuceriam usque iter facere posse. Dum redis celeriter provehuntur, patri Publius: "Nisi fallor," inquit, "haud procul abest lacus Trasumenus, ubi Hannibal olim cladem tantam populo Romano attulit."

"Circiter triginta milia passuum lacus hinc abest," inquit pater; "ac certe infelix erat ille dies, quo Romani ibi in insidias delati sunt."

"De hoc proelio narra, sis," inquit Sextus. "Nomen lacus saepe audivi; sed quid ibi factum sit, haud satis mihi liquet."

At pater: "Sunt qui putent," inquit, "illam rem etiam a principio infaustam fuisse. Nam cum consul Flaminius, castrâ moturus, signa convelli iussisset et ipse insiluisset in equum, subito equus corruit consulemque lapsum super caput effudit."

"Haud mirum est, si res ei pessime evenit," inquit Drusilla, "cum omine tam manifesto non deterritus sit quominus castra moveret. Nos vero nudius tertius maximo malo nostro didicimus quanto periculo talia monita deorum neglegerentur."

"Memoriae traditum est," inquit Cornelius, "aliud etiam magis mirandum tum accidisse; nam insuper consuli est nuntiatum signum convelli non posse, etsi signifer omni vi luctaretur."

"Papae!" inquit Sextus. "Illud certe erat omen maxime manifestum. Etiam tum consul hostes insequi perseveravit?"

“Ita vero,” inquit pater. “Iratu enim iussit signum effodi, si prae metu signiferi manus ad convellendum minus validae essent.”

“Hominem quam impium!” inquit Drusilla. “Ipsi quidem merito evererunt, quaecumque eum fato manebant.”

“Interim,” inquit Cornelius, “ad lacum Trasumenum pervenerat Hannibal; ubi delegit locum quasi natura ad insidias natum. Ibi enim montes a lacu via tantum perangusta seiunguntur; deinde paulo latior patet campus; tum colles iterum paene ad lacum procurrununt.

“Hoc in campo Hannibal castra locavit; sed magnam partem copiarum circumduxit post montis, atque equites ad ipsas fauces saltus (tumulis apte tegentibus) ita locavit ut, ubi intrassent Romani, obiecto equitatu clausa omnia lacu et montibus essent.

“Postero die Romani prima luce per fauces inexplorato progressi, castra in aperto posita conspexerunt; insidiae a tergo et super caput haud detectae sunt.

“Tum Hannibal, qui iam clausum lacu et montibus et circumfusum suis copiis habebat hostem, signum omnibus dedit simul invadendi. Quod ubi factum est, eo magis Romanis subita atque improvisa res fuit, quod orta ex lacu nebula in campo densior sederat.

“Consul tamen ordines turbatos instruxit, ut tempus et locus passus est, ac milites stare et pugnare iussit. Sed prae strepitu ac tumultu nec consilium eius audiri nec imperia accipi poterant. Quin etiam nostri multi ab hostibus prius oppressi sunt quam arma expedire possent.

“Ibi tres fere horas certatum est, et ubique atrociter; sed circum consulem, armis insignem, infestior erat pugna. Postremo Gallus quidam, Flaminium facie quoque agnoscens, subditis equo carcaribus per nostros confertissimos impetum fecit, consulemque lancea transfixit.

“Hinc Romanis initium fugae. Quorum pars magna, hostibus undique circumfusus, in lacum progressa mortem ita effugere conata est; sed ab equitibus aquam ingressis passim trucidati sunt.

“Sex milia autem per adversos hostes gladiis fecerunt viam, et, ignari quid post se ageretur, haud procul in tumulto quodam constiterunt. Postero die, cum extrema fames instaret, fidem dante Maharbale, si arma tradidissent, fore ut cum singulis vestimentis eis abire liceret, se dederunt; sed ab Hannibale in vincula coniecti sunt omnes.

“His rebus Romam delatis, cum magno terrore ac tumultu concursus populi in forum factus est; ubi haud multo ante solis occasum M. Pomponius praetor e curia egressus: ‘Pugna’, inquit, ‘magna victi sumus’; nec quidquam his addidit.”

“Talis constantia me maxime delectat,” inquit Publius; “ac mihi in mentem venit verborum, quae poeta Horatius facit de viro iusto et propositi tenaci:

Si fractus inlabatur orbis,  
Impavidum ferient ruinae.”

Dum haec dicuntur, Drusilla sollicita caelum suspiciebat; nam nubes oriri coeperant. Sed equi libenter trahebant redas; et viatores, in oppidum celeriter delati, ad cauponem devertere potuerunt, priusquam imber consecutus est.

## CAPUT XXXVII

Haec nox haud sine trepidatione peraeta est. Nam cum omnes, de itinere fessi, mature cubitum discessissent, subito media nocte vox audita est Corneliae, quae perterrita opem implorabat.

Quo clamore audito, Drusilla, e somno excussa, lumine accenso ad filiae lectum quam celerrime perrexit. Ibi in lacrimas effusa et terrore paene exanimata sedebat Cornelia; cui mater: "Quid factum est, filiola mea?" inquit, cum puellam trepidantem complexu suo reciperet.

"O mater, mater!" inquit Cornelia. "Mihi visa sum iterum in silva errare. Et e spelunca subito erupit gigas immanis, qui voce horrenda clamavit: 'Ubi est puella mea?' Tum ego trepidans: 'Quae est puella tua?' inquam. At ille, me digito ingenti demonstrans: 'Tu, tu' inquit. Quo audito, clamorem sustuli maximum, ac tu statim cum lumine ad me venisti."

Vix ea dicta erant, cum repente foris audita est vox dicentis: 'Tu, tu', ac Cornelia consternata matrem arte amplexa est.

Illa autem ridens: "Quid, filia mea? Nonne tu umquam noctuam audivisti? Accede huc ad fenestram. Nubes iam discesserunt, et nox clara et serena est."

Cum Cornelia e fenestra stellas aspiceret, iterum ex arbore propinqua audita est vox noctuae: 'Tu, tu'. Tum puella quoque adrisit. Quin etiam vani terroris eam iam pudebat; quare iterum quieti se dedit, nec quidquam ultra trepidationis hac nocte fuit.

At postero die aliquid morae erat, quod, cum hora profectionis adesset, Stasimus nusquam reperiri potuit. Dum autem Cornelius vehementer commotus nec voci nec irae parcit, accessit cauponis servus, qui dixit Stasimum multo mane ad quendam fundum vicinum abiisse, si forte ibi ova recentia reperiret.

"Celeritate, non ovis, nunc opus est," inquit Cornelius adhuc ira incensus; "et merito isti scelesto accidat, si sine eo hinc

proficiscamur. I, Onesime, tres equos quaere, ut temporis minimum amittatur.”

Equis adductis, Publius et Onesimus celeriter escenderunt atque ad fundum profecti sunt, cum equum tertium habenis duceret Onesimus, ut Stasimus quoque vehi posset, cum ad deversorium redirent.

Ubi ad fundum appropinquaverunt, in muro magnis litteris inscriptus hic titulus apparebat: CAVE CANEM; ac ultra murum audiebatur canis latratus et voces hominum altercantium.

“Credo Stasimum, ut solet, in aliquod periculum incidisse,” inquit Publius. Quae cum dixisset, equo dimisso, in saxum escendit, unde aspicere poterat quae ultra murum fierent.

Tum videbat Stasimum, qui temere murum transiluerat, a cane in arborem refugere coactum esse. Ibi in ramo sedens, ille servus vafer ludificabatur agricolam iratum, qui furca armatus infra stabat. Interim canis frustra in arborem saltu conabatur escendere, cum loca longe et late latratu resonarent.

“Descende ilico,” inquit agricola, “aut te, ut furem manifestum, furca transfigam.”

“Surdus sum,” inquit Stasimus, ad aurem manu admota. “Maius exclama, si vis.”

Tum maxima voce agricola: “Descende, mastigia, priusquam te hac furca transfigam.”

“Tantum strepitum facit canis,” inquit Stasimus, “ut nihil plane audire possim. Dixistine te mihi aliquid daturum?”

“Ita vero,” inquit agricola, ira elatus. “Malum maximum tibi dabo, fureifer, si umquam manus tibi iniciam.”

At Stasimus, quasi audire attente conaretur: “Malae meae recte se habent,” inquit, “sed aures munere suo fungi nolunt.”

“Haec furca munere suo fungetur,” inquit agricola, “nisi tu ilico in terram te demittes. Descendis an non descendis?”

“Nunc quidem,” inquit Stasimus, “non descendo; nam in ramo sedeo.”

Quo audito, agricola furibundus in arborem furcam proicere parabat, cum Publius e saxo vocem emittens: “Heus tu,” inquit; “quid, obsecro, factum est? Servum nostrum Stasimum ego quaero. Si eum in his locis vagantem vidisti, ostende, sis.”

Cui agricola: "Quisquis es, adulescens, homini negotioso molestiam exhibes. Nam furem manifestum canis in hanc arborem refugere coegit, cui nullo modo persuadere potui ut inde descenderet."

"Id minime mirandum est," inquit Publius ridens, "cum canis saevus arborem custodiat et tu hominem descendentem furca accipere paratus sis. Sed suspicor hunc esse servum, quem quaero. Mane ille e deversorio ova emptum profectus est; at nunc, ut videtur, more suo turbas hic impudenter concitat."

"Quis sit, plane nescio," inquit agricola dentibus frendens. "Sed pro impudentia sua certo scio eum hodie mihi poenas maximas daturum."

"Ohe, senex," inquit Publius. "Noli saevire. Sine hominem impune descendere, ac tibi hoc accipe." Quo dicto, aureum proiecit, qui in terram ante pedes agricolae cecidit; cuius ira, aurco viso, paulatim residere coepit.

"Celeritate nunc opus est," inquit Publius. "Iam diu in oppido exspectamur. Canem revoca, senex."

Tum ille, aureo sublato, canem vinculo reducere coepit; Stasimus autem celeriter ex arbore desiluit, et cursu effuso murum petivit.

Canis, cum hostem fugientem vidisset, summa vi adnisus vinculum rupit, et Stasimum, quantum celeritate poterat, secutus est. Ille vix in murum escendebat, cum canis pernici saltu se proiciens vestem eius dentibus apprehendit pannumque inde deripuit longum.

Publius et agricola, cum Stasimum vidissent in muro stantem, dum vestem discissam tristis aspexit, in cachinnos maximos effusi sunt. Ille autem ex muro desiluit, arreptoque lapide iterum celeriter ascendit.

Quo animadverso, canis denuo in murum impetum fecit; sed inde acriter ululans refugit, cum Stasimus lapidem summa vi in eius caput impegisset.

Qua iniuria incensus, agricola cum furca subsidio cani procurrit. Ceteri autem celeriter in equos escenderunt, atque incitato cursu ad oppidum revecti sunt.

Quos cum vidisset, Cornelius: "Quid tibi vis, Stasime?" inquit. "Propter te duarum horarum iacturam iam fecimus. Sicubi nos posthac ita desereres, te non opperiemur. Etiam nunc vix contineor quominus te, ut mereris, ulciscar."

"Veniam da, ere, obsecro," inquit Stasimus. "Putavi ova recentia e fundo liberis grata fore, nec dubitavi quin multo ante tempus profectionis ego redire possem."

"Cur igitur non temperi redisti?" inquit Cornelius.

At ille: "Dum ova quaero, de via erravi. Tum mihi obviam venit simia morosus, qui in ramo arboris sedere coegit, cum interim canis saevus circumsiliret."

Quo audito, Cornelius quamvis invitus risit, omnesque in redas iussit sine mora escendere. Cuius dicto viatores libenter paruerunt ac brevi ex oppido equis volentibus vecti sunt.

## CAPUT XXXVIII

Postquam aliquamdiu taciti provecti sunt, patri Publius: "Ubi hanc noctem acturi sumus?" inquit.

"Vereor ne necesse sit aliquam in villam hac nocte devertere," inquit Cornelius. "Nam in his regionibus, quo tendimus, nulla sunt oppida magna."

"Putavi nos fortasse Sentini moraturos," inquit Publius.

"Hoc oppidum a via nimis longe abest," inquit pater, "et celeritati studeo."

"Ecquid clarum Sentini umquam factum est?" inquit Sextus.

"Maxime vero," inquit pater. "Sed de proelio olim ibi commisso fortasse Publius quaedam narrare potest."

Quibus verbis inductus, Publius haud invitus: "Abhinc annos amplius quadringentos," inquit, "Romani ad Sentinum acerrime cum Samnitibus et Gallis pugnaverunt.

"Consul unus, cum Samnitibus congressus, primo satis habebat se ab hostibus defendere, ratus si proelium diutius extractum esset, fore ut hostium sic minueretur impetus, Romanis autem vires paene integrae servarentur.

"Altero autem in cornu P. Decius Mus, qui contra Gallos constiterat, quia lentius videbatur pedestre certamen, equites vehementer in pugnam concitavit. Quos autem, cum in confertissimos Gallos impetum fecissent, novum genus pugnae conterruit.

"Iam enim advenerunt hostes recentes, essedis carrisque superstantes, qui ingenti sonitu rotarum consternabant equos, quibus talis tumultus insolitus erat. Quae res Romanis victoriam paene exploratam in fugam vertit.

"Decius, cum frustra suis cedentibus resistere conatus esset: 'Quid ultra moror', inquit, 'mortem fato debitam? Nostrae enim genti datum est, ut propulsandis civitatis periculis piaculosimus. Quare ego, ut antea pater, et me ipsum et hostium legiones dis inferis dabo'.



“Haec locutus, M. Livium, pontificem, quem abire a se vetuerat, praeire iussit verba, quibus se legionesque hostium pro exercitu populi Romani devoveret. Quo rite facto, qua confertissima cernebatur Gallorum acies, ea concitavit equum, infestisque telis se inferens statim occisus est.”

“Heu!” inquit Cornelia. “Qua re fit, obsecro, ut fortissimi et optimi omnes exitus tam miseros inveniant?”

“Decio quidem,” inquit pater, “illa mors pro patria oppetita pulcherrima videbatur; et populo Romano certe multum profuit. Nam militibus perterritis iam rediit animus, et eo die victoria clara a nostris parta est.”

“Quo modo animus militibus redire potuit,” inquit Cornelia, “cum dux ab hostibus occisus esset?”

At pater: “Pontifici Livio lictores Decius tradiderat, eumque iusserat imperium suum recipere; qui, cum consulem occisum vidisset, statim clamare coepit Romanos vicisse, quod dux mortuus ad inferos secum devotam hostium aciem vocaret, et iam apud Gallos omnia formidinis plena esse.

“Eodem fere tempore opportune subvenerunt milites recentes, quos consul alter, Samnitibus fugatis, collegae auxilio miserat. Itaque Galli, etsi structis ante se scutis conferti stabant, impetum Romanorum sustinere non potuerunt. Multi, ubi constiterant, ibidem ceciderunt, alii a tergo circumventi et trucidati sunt.”

“Haec me admonent,” inquit Publius, “de alio facinore egregio, quod a scriptore Livio memoriae traditum est.”

“Quid factum est, obsecro?” inquit Sextus. “Eodemne modo postea civis alius pro victoria Romanorum telis hostium se obiecit?”

“Filius eiusdem Deci se similiter pro patria devovit,” inquit frater; “sed aliud erat, de quo cogitabam:

“Olim enim Romae, aut motu terrae aut aliqua vi alia hiatus immensae altitudinis subito in foro factus est, qui congestionem terrae quamvis assidua nullo modo expleri potuit.

“Vates canebant id, quod optimum Romani habent, ei loco dedicandum esse, si rem publicam perpetuam esse vellent. Quare diu quaesitum est quid esset illud optimum.

“Tum ferunt M. Curtium, iuvenem bello egregium, cives suos castigasse, quod dubitarent an ullum Romanis bonum maius esset quam arma et virtus.

“Deinde, ubi silentium factum est, templa deorum immortalium Capitoliumque intuens, et manus nunc in caelum nunc in patentem terrae hiatum porrigens, ille se devovit; tum, equo quam poterat maxime exornato insidens, armatus se in specum immisit.

“Dona et fruges super eum a multitudine virorum et mulierum congesta sunt; et locus ‘lacus Curtius’ appellatus est, quod ille vitam suam ibi pro perpetuitate rei publicae largitus erat.”

“Haec omnia egregia et maxime laudanda sunt,” inquit Cornelia; “sed exitus habent, qui maestitiam maximam mihi iniciant. Nonne vis aliquid iucundius narrare, frater?”

“Fiat,” inquit ille. “Exponam quo modo Caesar dictator inopiam aquae sublevaverit, cum Alexandriae ab hostibus obsideretur:

“Urbs illa est fere tota subfossa, specusque ad flumen Nilum pertinentes habet, quibus aqua in privatas domos inducitur; ubi paulatim liquescit ac subsidit. Nam cum primo e Nilo influit, adeo est limosa et turbida, ut multis variisque morbis eos afficit, qui statim bibunt.

“Aqua ex his specibus extracta Caesar quoque aliquamdiu utebatur. Tum hostes, rati fore ut Romani se dedere cogerentur, si aquatione prohibiti essent, magnum et difficile opus aggressi sunt.

“Nam rotis et machinis magnam vim aquae ex mari exhauserunt, quam in loca a Caesare occupata fundere non intermittebant. Quo modo aqua, quae e specibus a Romanis trahebatur, in dies salsior fiebat, adeo ut postremo bibi omnino non posset.

“Tum nostri ad summam desperationem pervenerunt; Caesar autem eorum timorem consolatione et ratione minuit. Nam docuit, puteis fossis, aquam dulcem reperiri posse, quia litora omnia naturaliter aquae dulcis venas haberent; sin autem hoc modo aquari non possent, aditum ad mare patere, et cotidie navibus se aquam petiturum.

“Tali oratione confirmatis suis, centurionibus negotium dedit ut, reliquis operibus intermissis, ad fodiendos puteos animum conferrent. Quo suscepto negotio atque omnium animis ad laborem incitatis, una nocte inventa est magna vis aquae dulcis, nec postea simili inopia laboratum est.’

“Optime!” inquit Cornelia. “Vellem fabulae omnes exitus tam iucundos haberent.”

Dum haec fiunt, redae celeriter provehebantur; ac vesperscente iam die viatores ad quandam villam hospitio accepti sunt.

## CAPUT XXXIX

Cibo et somno refecti mane profecti sunt, ac quarta fere hora ad flumen Metaurum pervenerunt. Quod cum ponte transirent, Cornelius: "Ad hoc flumen" inquit, "commisum est proelium, quod spes omnes Hannabilis funditus evertit."

"Ipsene aderat," inquit Sextus, "cum hic pugnatum est?"

"Immo longe aberat," inquit pater, "ac Romani hoc loco congressi sunt cum eius fratre, Hasdrubale, qui ex Hispania cum exercitu subsidio properabat."

"Minus igitur mirandum est," inquit Sextus, "si Poeni victi sunt. Nam Hannibal, cum ipse coram adesset, perraro superatus esse videtur. Sed de hoc proelio plura libenter audiamus. A principio exordire, si vis."

Tum pater: "Hannibal haud procul a Venusia trahebat bellum, sperans propediem adfore fratrem; quare nondum volebat decertare cum consule C. Claudio Nerone, qui haud longe castra posuerat.

"Cum alter consul, M. Livius, adventum Hasdrubalis expectaret his in regionibus, per quas nunc iter facimus, forte equites hostium, qui litteras ad Hannibalem deferebant, a Romanis sunt intercepti et ad Neronem adducti.

"Consilio Poenorum ex his cognito, Nero, relicto Q. Catio legato, qui castris praeesset, ipse magnis itineribus ad collegam Livium contendit. Tum, coniunctis copiis, consules Hasdrubalem se recipere conantem consecuti sunt atque iniquo loco proelium committere coegerunt.

"Cum diu atque acriter dimicatum esset, Nero e dextro cornu (ubi segnius pugnabatur) cohortes aliquot detraxit, quas post aciem circumductas subito in dextrum hostium latum immisit. Tum ex omnibus partibus, a fronte, a latere, a tergo, hostes trucidati sunt.

"Elephanti vero ab ipsorum rectoribus plures quam a Romanis sunt interfecti. Nam rectores scalprum cum malleo

habebant. Id, cum saevire bestiae ac ruere in suos coeperant, magister inter aures positum, in articulo quo iungitur capiti cervix, quanta maxima potest vi adigebat. Quo vulnere elephantum statim conciderunt.

“Interim Hasdrubal officio boni imperatoris fungebatur. Ille pugnantes hortando sustinuit, ille fessos nunc precando nunc castigando accendit, ille fugientes revocavit omisamque pugnam aliquot locis restituit.

“Postremo, cum haud dubia victoria Romanorum esset, ne superstes esset exercitui tanto, in hostes concitato equo se immisit. Ibi, ut patre Hamilcare et Hannibale fratre dignum erat, pugnans cecidit.”

“Denuo quaero,” inquit Cornelia, “cur optimi et fortissimi semper exitus tam miseros inveniant.”

“Eratne autem Hasdrubal vir vere optimus?” inquit Sextus. “Semper audivi Poenos paene omnes perfidos et impios fuisse.”

“Sic memoriae traditum est,” inquit pater. “Quin etiam hodie quoque ‘Punica fides’ pro ‘perfidia’ saepe dicitur. Sed maiores nostri, viri rei publicae amantissimi, gloriam civitatis se aucturos fortasse putabant, si hostes quam maxime infames fecissent.

“Quare operae pretium est animadvertere scriptoris Livi verba repugnantia: qui, etsi inhumanam crudelitatem in Hannibale fuisse dicit, commemorat tamen post cladem ad lacum Trasumenum factam Hannibalem funeris causa corpus Flamini consulis magna diligentia quaesivisse; quod non fecisset profecto, si monstrum hominis fuisset.”

“Quid agebat Hannibal,” inquit Sextus, “dum fortuna ita fratrem deserit?”

“Castris se tenebat,” inquit pater, “nec suspicatus est quantum mali suis rebus accidisse, priusquam Nero victor rediit. Tum caput Hasdrubalis, quod consul magna cura servatum attulerat, ante stationes hostium proiectum est. Quo signo Hannibal cognovit se omnia perdidisse.”

“Vah!” inquit Cornelia horrescens; “mihi quidem in consule Romano inhumana crudelitas fuisse videtur.”

“De desperatione Hannibalis,” inquit Publius, “cum cognovisset fratrem occisum esse, dicit poeta Horatius; cuius verba, si potero, memoria referam :

Carthagini iam non ego nuntios  
Mittam superbos. Occidit, occidit  
Spes omnis et fortuna nostri  
Nominis, Hasdrubale interempto.”

“Bellumne totum ita ad finem adductum est?” inquit Sextus.

“Nullo modo,” inquit pater. “Sed Hannibal in extremos Italiae angulos se recipere coactus, postremo in Africam revocatus est, ut patriam tueretur. Romani enim iam eo copias transvexerant.”

Cum haec dicta essent, ad locum amoenum perventum est, ubi viatores ex redis descenderunt, ac, per herbam dispositi, ceperunt cibum, cum interim equi in umbra reficiebantur. Tum iterum profecti hora nona Fanum Fortunae pervenerunt, quo in oppido hanc noctem agere constituerant.

Mox liberi, qui cupide cenae tempus exspectabant, ad Annam accesserunt, quae Lucium humi ludentem servabat; et Cornelia: “Adco esurimus,” inquit, “ut quo modo tempus teratur excogitare non possimus. Nonne tu nos adiuvare potes?”

Tum illa: “Meministisne,” inquit, “me quondam vobis multa narrare quodam de Moyse, qui gentem meam servitute liberavit et ex Aegypto eduxit in fines maioribus nostris a deo destinatos?”

“Haec omnia memoria tenemus,” inquit Sextus. “Perge porro dicere.”

“Eo tempore,” inquit Anna, “quo Moyses natus est, rex earum regionum edictum proposuerat ut pueri infantes gentis nostrae occiderentur omnes. Nam in dies crescebat multitudo, ac metuebat rex ne quando populus, quem servitute premebat, seditionem commoveret et summa rerum potiretur.

“Moysen autem infantem mater domi tres menses occultavit. Tum alveo facto imposuit puerum, atque inter harundines

prope fluminis ripam abscondit. Interim soror pueri haud procul eventum exspectabat.

“Paulo post ad lavandum regis filia ripam adiit; dumque ancillae in ripa vagantur, alveum animadvertit. Quo aperto, regia virgo, cum infantem flentem vidisset, misericordia mota: ‘Hic est’, inquit, ‘unus de infantibus proscriptis’.

“Tum subito soror praesto: ‘Visne me vocare mulierem’, inquit, ‘quae infantem nutrire possit?’ ‘I, eam arcesse’, inquit illa. Puella igitur laeta abiit, suamque statim matrem vocavit.

“Hoc modo Moyses servatus est; quem, cum iam iuvenis esset, filia regis in locum filii adoptavit.”

“Haec est fabula lepidissima,” inquit Cornelia.

At Sextus: “Tuis verbis,” inquit, “de casu Romuli et Remi admoneor, qui quoque in alveo expositi sunt. Sed miror quam mox edamus.” Tum post se respiciens: “Nonne Onesimum iam appropinquantem video? Is certe est. Eamus.” Quo dicto, celeriter liberi abierunt.

## CAPUT XL

Postero die via ducebat secundum litus maris Hadriatici, ubi venti recentes vim equis incutiebant, ac Cornelius: "Omnia prospere cedere videntur, et spero nos hodie Ariminum usque progredi posse."

Hoc audito, Publius: "Mihi recordari videor," inquit, "flumen Rubiconem haud procul ab Arimino in mare influere."

"Quin etiam," inquit pater, "ostium fluminis quinque fere milia passuum ab oppido abest."

"Cur tam multa de flumine Rubicone?" inquit Sextus. "Ecquid memoria dignum ibi factum est?"

"Dignissimum vero," inquit pater. "Parvus scilicet est amnis, sed ab Italia reliqua dividebat provinciam olim Caesari dictatori decretam. Quare cum ille Rubiconem transibat, bellum patriae aperte inferebatur."

"Cum res tantum in discrimen adduceretur," inquit Sextus, "credo eum diu dubitasse utrum transiret necne."

"Recte dicis," inquit pater. "Sed Publius noster de hac re profecto saepe legit, nec dubito quin ille libenter quaedam vobis narraturus sit."

"Optime," inquit Sextus. "Quo modo res acta est, frater?"

Tum ille: "Caesar in commentariis suis plurima dicit de iniuriis sibi illatis, et de causis cur arma sumenda essent; sed de transitu huius fluminis ipse nihil tradit.

"Apud Suetonium autem multa invenio, quae ad hanc rem pertinent. Nam ille dicit Caesarem, cum ad flumen venisset, conversum ad proximos dixisse: 'Etiam nunc regredi possumus; sin autem hunc ponticulum transierimus, omnia armis agenda erunt'.

"Tum quidam iuvenis egregia corporis magnitudine et specie in proximo sedens repente apparuit, qui harundine canebat. Ad quem audiendum non solum pastores sed etiam milites concurrerunt.



“Inter eos erant aeneatores quidam; quorum ab uno tuba arrepta, iuvenis ad flumen prosiluit et ingenti spiritu classicum exorsus ad alteram ripam contendit.

“Tum Caesar: ‘Sequamur,’ inquit, ‘quo deorum ostenta et inimicorum iniuriae vocant. Iacta est alea.’ Hoc modo flumen transitum est.”

At Sextus: “Cum haec res Romam delata esset,” inquit, “vereor ne Pompeius nuntium haud libenter acceperit.”

“Commotus est non solum Pompeius,” inquit Publius, “sed etiam civitas tota; multique statim ex urbe egressi salutem fuga petierunt. Etiam Cicero multum dubitabat utrum uxori filiaeque suaderet ut Romae manerent, neene.”

“Quid, obsecro, eis timebat?” inquit Cornelia. “Caesar certe cum feminis non bellum gesturus erat.”

“Recte conicis,” inquit pater. “Sed omnia tum turbida erant; ac Cicero etiam hoc modo loquitur: ‘Sin homo amens diripiendam urbem daturus est’—quibus verbis ostendit quanto in periculo omnia versari existimaverit.”

“Mihi quoque maxime mirandum videtur,” inquit Publius, “Ciceronem et alios principes civitatis tantam inhumanitatem Caesari imputasse.”

At pater: “De eius rebus in Gallia gestis fama iam percrebruerat; nec vero Gallis aut Germanis umquam pepercerat Caesar, si eorum supplicium ceteris documento futurum esse putabat. Propter haec, ut opinor, de eius voluntate in rem publicam omnes tantopere timuerunt.

“Quam eorum opinionem res tamen multum fefellit. Nam ille, simulatque Rubiconem transiit et cum civibus Romanis bellum est susceptum, omnis summa comitate tractabat, etsi patientia eius multi foede abusi sunt.”

“His auditis,” inquit Sextus, “credo me ipsum fabulam narrare posse.”

Quae cum audissent, adriserunt omnes, et Cornelius: “Optime, mi fili,” inquit. “Perge porro dicere.”

“Olim,” inquit Sextus, “ventus quidam et sol inter se disceptaverunt, uter esset validior. Ac prior ventus: ‘Ego quam tu vires habeo multo maiores; cuius rei iam documentum dabo’.

“Quo dicto, terras turbine perflavit et impetum fecit acerrimum in quendam viatorem, qui collem arduum ascendebat. ‘Me aspice’, inquit ventus, ‘quam mox vestem huic viatori eripiam’. Viator autem, propter frigus dentibus crepitans, artius veste se amiciebat, nec quidquam ventus efficere potuit.

“Tum sol, radiis fervidis splendens, viatorem aestu tantopere vexavit, ut ille libenter vestem exueret. Sic palma soli delata est; quare vulgo dicunt comitatem ira potentiores esse.”

“Saepe res ita se habet,” inquit pater. “Sed Caesar quidem comitatis suae fructum minimum percepit, etsi in Hispania victoriam plane exploratam dimisit, ne civium sanguinem nisi coactus funderet, ac semel atque iterum cum Pompeio de pace agere volebat. Sed omnia frustra; ac memoriae traditum est, post pugnam Pharsalicam cum caesos profligatosque hostes prospiceret, eum dixisse: ‘Hoc voluerunt. Tantis rebus gestis C. Caesar damnatus essem, nisi ab exercitu auxilium petissem’.”

Ita inter se usque ad meridiem viatores locuti sunt; tum constiterunt quodam in loco, unde mare longe et late aspici poterat. Quare liberi cupide petierunt ut sibi liceret in litore paulisper vagari, cum equi pabulo reficerentur.

Drusilla primo negavit; nam adhuc mentem eius refricabat memoria illius diei, quo Cornelia a latronibus capta erat. Sed postremo, cum liberi polliciti essent se haud longe vagaturos, Onesimo et Stasimo imperatum est ut eos comitarentur neve umquam e conspectu suo paterentur abire.

Laeti in litore liberi cursitabant, conchas undique eligentes; tum, sinu repleto, Cornelia in saxo paulo supra aquam prominente consedit.

Dum ibi conchis suis intenta moratur, Sextus a tergo clam accessit, et subito magna voce: “Cave latrones!” inquit.

Quo audito, Cornelia perterrita exsiluit, et, pede fallente, in undas praecipitata est. Tum Sextus clamores lamentabiles sustulit; servi autem, cum celeriter in aquam se proiecissent, puellam pavidam ad harenam traxerunt.

Deinde omnes vultu demisso ad redas se receperunt, cum Sextus longe a tergo sequeretur, Cornelia autem metu et frigore tremere non desineret.

Quos cum aspexisset, Drusilla terrore elata: "Quid nunc mali accidit?" inquit. "Cur has vestes madidas video?"

Nemo voce Sextum prodere voluit; sed Publius, qui fratrem tristem procul sequi animadverterat: "Mihi subolet," inquit, "quid factum sit. Sextus noster, ut opinor, denuo sororem ludificatus est."

Tum Cornelius vultu torvo: "Satis in praesens iam dictum est. Sed cum Ariminum pervenerimus, tum haec res diudicabitur. Interim in sole vestes madidae siccantur."

Quod cum factum esset, iterum profecti, sub vesperum ad cauponem deverterunt.

## CAPUT XLI

Mane, cum redae adductae essent, omnes alacres conscenderunt. Sextus autem diu maestus secum sedebat; nam a patre vehementer castigatus erat, eumque suae imprudentiae maxime paenitebat; nisi enim pridie Onesimus et Stasimus praesto fuissent, Cornelia fortasse in fluctibus periisset.

Postremo hilariore vultu se circumspicere coepit; cum autem loco idoneo viatores constitissent, ut cibus depromeretur, in umbra adhuc quietus sedebat, neque oravit ut sibi liceret per agros vagari. E contrario a matre petiit ut sibi aliquid narraret.

Drusilla, primo recusare conata: "His diebus," inquit, "pauca lego. Sed fortasse non audivisti de itinere Orphei, qui ad inferos descendit, ut inde uxorem Eurydicen reduceret."

"Haec, narra, sis, mater," inquit Cornelia. "Ego quoque audire volo."

"Memoriae traditum est," inquit Drusilla, "Eurydicen, dum in herba vagatur secunda, dentem serpentis in pedem recepisse; quo vulnere celeriter exanimata est.

"Quam ubi Orpheus diu deflevit, constituit ipse descendere ad umbras, si forte cantu suo dis inferis persuadere posset, ut Eurydicen ad superos reduci paterentur.

"Quare sine mora profectus, per 'templa alta Orci pallida leto, nubila tenebris loca' iter fecit, ipsamque Proserpinam impavidus et regem inferorum adiit.

"Apud quos lyra personat, nervosque ad verba movens orat ut uxor sibi reddatur. Interim, dulcedine cantus captae, umbrae undique flebant. Quin etiam Tantalus non diutius aquam captare conatus est, et Ixion vultu risit invito.

"His precibus resistere nec Proserpina neque ipse Pluto poterat, et Eurydice vocata est. Accessit uxor adhuc de vulnere tarda; quam Orpheus laetus recepit. Sed dimissus est cum mandato ut abiret statim, neve prius respiceret quam e regno inferorum esset egressus; aliter irritum donum futurum.

“Silentio Orpheus et Eurydice ascenderunt clivum arduum, obscurum, caligine atra densum; nec procul afuerunt a margine orae superae, cum ille, veritus ne uxor deficeret, amans oculos reflexit.

“Quo facto, illa statim relapsa est; neque Orpheo, etsi Charontem enixe oravit, flumen iterum transire licuit, nec postea uxorem umquam aspexit.”

“Tu quoque, mater,” inquit Cornelia, “auditu tristia narras. Vix lacrimas teneo, cum de Orpheo misero cogito.”

“At,” inquit Sextus, “quis est ille Charon, aut quo modo is Orpheam prohibere potuit quominus rediret, ut iterum uxorem peteret?”

Tum Publius: “Charon erat portitor,” inquit, “qui umbras cymba trans flumen Acherontem vehebat. De his rebus multa dicit poeta Vergilius, qui refert quo modo heros quoque Aeneas ad inferos descenderit, ut ibi patrem Anchisen conveniret.”

“De hoc amplius, si vis,” inquit Sextus. “Libenter te audio.”

“Cum Aeneas classem ad Italiam appulisset,” inquit Publius, “Sibyllam statim adiit, quae ad inferos dux viae esse solebat. Illa autem ei respondit:

‘Facilis descensus Averno;  
Noctes atque dies patet atri ianua Ditis.  
Sed revocare gradum superasque evadere ad auras,  
Hoc opus, hic labor est’.

“Praeterea monuit paucos admodum fuisse, qui umquam ad oras rediissent superas, cum semel eo descendissent; sin autem ille periculum tantum subire paratus esset, in opaca silva inveniendum esse ramum aureum, qui, ut munus acceptissimum, ad Proserpinam deferretur.

“Aeneas, fortuna adiutus, ramum invenit, et Sibylla duce per speluncam atram progressus iter inferorum brevi carpebat. Primo occurrunt species horrendae, quas heros, timore commotus, gladio stricto transfigere parabat. Sibylla autem docuit illas esse umbras tantum, quae nec laedere nec laedi possent.

“Sic ad ripam Acherontis pervenerunt. Quos cum appropinquantes vidisset Charon, statim abire iussit; nam sibi nefas esse corpora viva traducere cymba. Postquam autem ramum aspexit aureum, sine recusatione Aenean comitemque in cymbam recepit.

“Illa, quae plerumque umbras tantum portare solebat, sub pondere gemuit; Aeneas autem incolumis ad ripam pervenit alteram, et in nemoribus fortunatorum postremo repperit patrem.”

Sed iam equi recreati sunt, ac Cornelius omnes in redas conscendere iussit; nam sperabat ante vesperum Faventiam usque perveniri posse.

Cum denuo iter carperent, Sextus: “Modo dixisti, Publi,” inquit, “Aenean classem ad Italiam appulisse. Unde, obsecro, naves solverat?”

“A Sicilia tum venerat,” inquit Publius; “sed antea naves solverat Carthagine, quam urbem Dido condidit, cum crudelitate fratris domo expulsa omnibus cum opibus trans mare fugisset, ut locis loginquis civitatem novam institueret.”

“Opesne eius magnae erant?” inquit Sextus.

“Permagnaе fuisse dicuntur,” inquit Publius. “Et multis post saeculis, imperator Nero, cum fiscum maximis sumptibus exhausisset et pecunia egeret, in spem summam erectus est ex indicio cuiusdam equitis Romani, qui pro certo nuntiabat thensauros maximos, quos Dido Tyro fugiens secum extulisset, adhuc integros esse in Africa, in vastissimis cavernis abditos, ac posse parvo labore erui. Postea imperator, cum haec spes eum fefellisset, rapinis intendit animum.”

“Hem!” inquit Cornelia. “Istius monstri nomen ipsum vix audire sustineo.”

“Atqui quiddam est,” inquit Publius, “quod de eius familia forsitan libenter audias.”

“Perge porro dicere,” inquit Sextus. “Ego quidem te de eo loquentem libenter audio.”

“Nero erat e gente Domitia,” inquit Publius, “e qua duae familiae illustres fuerunt, Calvinorum et Ahenobarborum; et

ipse Lucius Domitius Ahenobarbus vocabatur, donec ab imperatore Claudio est adoptatus.

“Memoriae traditum est priscis temporibus cuidam L. Domitio, rure ad urbem redeunti, in via obviam factos esse duos iuvenes augustiore specie, qui eum iuberent senatui ac populo nuntiare victoriam maximam a Romanis ad lacum Regillum modo partam esse.

“Cum autem ille dubitaret utrum eis fidem haberet necne, iuvenes, ut auctoritatem suam divinam esse probarent, malas eius manibus suis permulserunt; ac statim e nigra hominis barba rutila atque aeri similis facta est; unde cognomen ‘Ahenobarbus’. Quod insigne adhuc manet; nam postea ex illa familia multi barba rutila fuerunt.”

“Hoc magis placet,” inquit Cornelia, “etsi mihi quidem vix credibile videtur.”

Interim redas equi libenter ducebant; ac hora fere undecima ad oppidum Faventiam perventum est.

## CAPUT XLII

Cum postero die hora profectionis adesset equique cum redis ante ostium starent, subito tegulae aliquot, sole et ventis solutae, e fastigio tecti elapsae ad terram sonitu magno ceciderunt.

Quo casu exterritus, unus ex equis pedibus elatis redarium excussit, ac dicto citius redam ipsam in latus evertit. Tum autem servi complures aducurrerunt, atque equi comprehensi sunt, priusquam huic malo aliud maius adderetur.

Drusilla, cum haec cognovisset, manibus ad caelum sublatis Cornelium obsecravit ne hoc die proficisceretur, cum di alicuius mali impendentis signum tam manifesto dedissent. "Nonne recordaris, coniunx dulcis," inquit illa, "quam paene Corneliam nostram nuper amiserimus, cum omen neglexissemus manifestum, et iter inceptum eodem illo die pergere ausissemus?"

"Memini," inquit ille, "sed, ut saepe iam dixi, talia fortuita esse existimo, neque huius modi omina flocci facio, sive bona sunt, sive mala."

"Horresco, cum te ita loquentem audio," inquit Drusilla. "Noli, obsecro, hodie iter facere. Nam, curis miserrimis oppressa, animi tranquillitatem nusquam capiam, donec solis occasu ad cauponem iterum deverterimus."

"Bono es animo, Drusilla mea," inquit Cornelius, "Nihil timendum est. Vix mihi persuadere possum, ut hoc in oppido diem totum frustra maneamus. Age, mihi crede, atque in redam escende. Omnia prospere evenient."

His et talibus postremo Drusillae persuasum est ut proficisceretur. Invita et paene in lacrimas effusa redam escendit; ac brevi ex oppido viatores proveci sunt. Interim Cornelius, qui, quibus modis poterat, uxorem consolabatur: "Quid ais?" inquit. "Imperatorem Vitellium admiraris?"

"Nihil minus," inquit Drusilla. "Erat enim ille homo glulae deditus et in omni parte vitae detestabilis. Sed cur me id rogas?"



“Nonne te pudet a tali homine,” inquit Cornelius, “constantia superari?”

“Quo modo, obsecro?” inquit illa.

At coniunx: “Eo ipso die, quo ille a militibus imperator salutatus est, ex conceptu camini triclinium flagravit. Cumque omnes quasi omine adverso anxii essent, ille solus hilaris: ‘Bono’, inquit, ‘animo estote; nobis adluxit!’ Quibus verbis omen in bonum vertit.”

“De dictatore Caesare,” inquit Publius, “simile scriptum esse recorder. Nam ille in Africam olim transvectus, cum ex nave egressus ad litus cymba pervenisset, pede offenso, pronus in harenam prolapsus est. Quo casu comites perterriti sunt, at ille: ‘Aspice omen optimum’, inquit; ‘Africam oppressi!’”

Quo dicto, etiam Drusilla risit; sed diu se circumspiciebat, intenta ne quid mali subiti accideret. Tres tamen horas sine molestia ulla iter factum est; tum prope silvam parvam constiterunt, ut in umbra homines equique reficerentur.

Dum ibi cibum capiunt, Stasimus abiit, sicubi forte lac inveniri posset. Nam Drusilla, curis anxiiis oppressa, eius copiam adferre neglexerat, ac Lucius iam male esuriebat.

Cum Stasimus satis diu afuisset, Publio Cornelius: “Et tu et Onesimus abite,” inquit, “ut cognoscatur cur Stasimus nondum redierit. Nam metuo ne ille iterum nobis in mora sit, cum hinc proficisci volumus.”

Quo audito, Publius et Onesimus abierunt in eas partes, quo Stasimus modo profectus erat. Nec longius erant progressi, cum sonitus rixae magnae ad eorum aures adlatus est; et Publius: “Adde gradum, Onesime,” inquit. “Iste scelestus in aliquod malum rursus incidisse videtur.”

Celeriter igitur per silvam progressi, Stasimum in via cum mulione valido rixantem conspexerunt. Mulio flagello crepitabat, Stasimus autem ramo ex arbore derepto se defendere conabatur.

“Huc statim concede, Stasime,” inquit Publius. “Cur in via publica sic rixaris? Numquamne disces quo modo te gerere debeas?”

“Libenter abibo,” inquit Stasimus, “si prius barbam evellero huic capro, qui nunc mihi molestiam exhibet.”

“Quid ais, impudice?” inquit mulio. “Etiamne maledicis? Nisi actutum ex his regionibus te recipies, flagello hoc faciam ut rubescas.”

“Nihil opus est,” inquit Stasimus. “Nam mores mei tam sunt pudici, ut rubor facile mihi eliciatur. Verbis me verbera, si ita sententia est; sed flagellum nolo.”

“Abi, nugator,” inquit mulio, flagellum intentans.

“Abire volo—te in maximam malam crucem,” inquit Stasimus, linguam exsertans.

“Abis an non abis?” inquit mulio, cum minaciter propius accederet.

At Stasimus, qui paulatim cedebat, ictu subito flagellum e manu mulioni excussit, ac celeriter ad Publium et Onesimum refugit.

Tum Publius mulioni aliquot denarios proiecit, et: “Hos accipe,” inquit; “verba autem huius nugatoris neglege.”

Ac ille: “Fiat,” inquit, cum denarios alacer de terra colligeret. “Plerumque verberari nolo; sed ictus argenteos facile patior.”

“Tum vale,” inquit Publius ridens. “At tu, Stasime, ad redas te statim recipe, ne ultra in mora nobis sis.” Quo audito, Stasimus celeriter abiit, ceterique tardius consecuti sunt.

Servum simulac redeuntem vidit, Drusilla: “Quid nunc, cessator?” inquit. “Ubi est lac, quod petitum iam diu abisti?”

Tum Stasimus, subito consistens: “Perii miser!” inquit. “Lac omnino oblitus sum; habeo autem lagunculam.” Quae cum diceret, e sinu eam adhuc inanem protulit.

Qua visa, Cornelius iratus: “Etsi parum mens tua sentit, sceleste,” inquit, “ego hodie faciam ut corium tuum saltem aliquid sentiat. Hocine modo dominam ludibrio habere audes?”

“Veniam da, obsecro, ere,” inquit ille pavidus ac vix tenens lacrimas. “Doleo mea culpa Lucium lacte privari, neque ego quemquam ludibrio habere volui.”

At Cornelius: "Cur igitur," inquit, "operam non dedisti negotio, quod tibi mandatum erat?"

"Haud procul hinc," inquit Stasimus, "obviam factus sum ancillae pulchrae, quae modo e villa vicina exierat. Dum paululum moror, si forte ego ei placerem, subito occurrit mulio horridus; quo viso, ancilla territa intro refugit.

"Mulio, qui me aemulum esse suspicabatur, iratus flagello crepitabat, meque iussit in malam crucem abire. Ego vero, quo melius me defendere possem, ramum ex arbore deripui. Prius autem quam manus plane consereremus, accucurrit Publius cum Onesimo, et me statim huc redire iussit. Hoc modo factum est ut lac omnino obliviscerer."

"Acta agere nihil prodest," inquit Cornelius; "cumque ad istam villam, de qua mentionem fecisti, pervenerimus, inde ipsi lac petemus. Sed te hoc moneo; si semel posthac mandatum ita oblitus eris, ego tibi dabo quod semper memineris." Iam autem accesserant Publius et Onesimus, post quos e conspectu domini Stasimus libenter se recepit.

Sed omnia iam ad iter renovandum parata erant; ac sub noctem ad oppidum Bononiam perventum est. Interim nihil mali acciderat, quamquam Drusilla nusquam curas suas remittebat.

## CAPUT XLIII

Mane bonis auspiciis profecti, viatores ante meridiem pervenerunt ad rivum amoenum, ubi duas horas morati sunt. Postquam gustaverunt, Anna cum Lucio in herba consedit, ac liberi ab ea petiverunt ut aliquid sibi narraret.

Atque illa: "Unum tantum nunc recordari possum," inquit, "neque id permagnum. Sed si audire vultis, ego incipiam."

"Narra, obsecro," inquit Sextus. "Nam Publius aliquo solus abiit, ceterique quieti se dedisse videntur."

"Fortasse," inquit Anna, "meministis me olim quaedam loqui de iuvene pastore, qui gigantem occidit rexque postea factus est."

"Ita vero," inquit Cornelia. "Plura audire volumus."

Tum Anna: "Illi regi fuit filius, quem unice amabat. Puer erat insigni pulchritudine; sed cum iam adultus esset, coniurationem in patrem fecit, cum speraret se ipsum regem fore."

"Hac coniuratione detecta, pater primo salutem fuga petiit; sed postremo, copiis coactis, bellum cum filio gerere invitus paravit.

"Eo die, quo exercitus decertaturi erant, omnes regem enixe oraverunt ne se ipsum periculo obiceret. Quare, cum ceteri ad pugnam proficiscerentur, ipse ad oppidi portam relictus est.

"Filium quamvis perfidum pater tamen vehementer amabat. Quare legato suo abeunti diligenter praeceperat, ne quid inveni ipsi noceretur; et iam sollicita mente eventum exspectabat, dum speculator e muro attente prospicit.

"A regiiis copiis magna victoria parta est; ac filius, asino vectus, per silvam effugere conabatur. Capillo tamen, qui ei promissus erat, ramis implicato, asinus abiit, hominemque in arbore pendentem reliquit.

"Hoc cognito, legatus regius, tribus lanceis arreptis, in silvam properavit iuvenemque ter per cor traiecit. Tum

comites, cum prius hominem exanimatum gladiis aggressi essent, dempserunt corpus; quod in foveam abiectum saxis multis milites obruerunt.

“Interim rex sollicitus nuntios pugnae sperabat; ubique speculator clamavit cursorem procul conspici posse, rex, in summam expectationem erectus, vix hominis adventum manere potuit; cumque ei victoria magna nuntiata esset, hoc tantum rogabat: ‘Estne iuvenis salvus?’

“Cursor se nescire dixit. Sed alter, qui celeriter subsecutus erat, cum ab eo idem quaesitum esset: ‘Utinam’, inquit, ‘o rex, omnibus inimicis tuis ita esset, ut nunc est illi iuveni!’

“Quod ubi audivit, rex summo maerore afflictus se in secretum recepit, cum identidem lamentabili voce deploraret: ‘O fili care, utinam ego pro te periissem, fili mi!’”

“Ne tu quidem hodie laeta loqueris, Anna,” inquit Cornelia. “Taliū iam satis est; et miror ubi Publius tam diu moretur.”

“‘Ecce tibi lupus in fabula’,” inquit Sextus, cum digito monstraret Publium, qui leniter accedebat.

Qui, simulac propius accessit: “Sibyllam,” inquit, “modo vidi. Nonne vultis mecum ire, ut eam consultemus?”

“Nos ludificari conaris,” inquit Sextus; “et ego saltem ad inferos descendere parum gestio.”

“Veniatis, suadeo,” inquit frater. “Illa quidem certe digna est, quae a vobis aspiciatur.”

Quibus verbis inducti, Sextus et Cornelia secuti sunt; quos Publius recta per agros duxit ad parvam casam, quae haud procul conspici poterat.

Quo cum perventum esset, anum decrepita aetate viderunt, quae ramulos aridos legebat. “Em,” inquit Publius ridens, “Sibyllam aspiciat. Ego quidem nihil umquam similius vidi.”

Dum liberi, qui secum male actum esse putabant, tamen videndi studio circumspiciunt, subito e casa ad eorum auris adlata est vox horrenda: “Totam consumpsi. Cedo alteram.”

Qua audita, Cornelia pallido ore: “Fugiamus,” inquit. “Male metuo ne intus sit monstrum eis simile, quae Aeneae occurrerunt, cum ad inferos descenderet. Iam unam puellam vorasse videtur.”

Publius autem audacter ad ianuam processit, et ceteros ut sequerentur hortatus est. Tum autem iterum audita est illa vox: 'Cedo alteram', ac Cornelia perterrita iam fugitura erat, cum Publius, qui casam introspererat, in cachinnos effusus: "Accedite," inquit, "ut 'monstrum' illud videatis."

Quo audito, Sextus et Cornelia timide et leniter progressi, intus viderunt corvum, qui placentas, quas miles porrigebat singulas, avide vorabat, cum interdum 'Cedo alteram' rauca voce diceret.

Publio et liberis animadversis, miles placentas ceteras corvo proiecit, et: "Salvete omnes," inquit. "Ego sum veteranus, qui pro patria pugnans vulnera multa accepi; tum, bracchio amputato, domum remissus sum. Haec casa est mea; si intrare vultis, quo potero hospitio vos libenter accipiam."

Quare omnes ingressi sunt ac diversis locis consederunt. Sed etiam tum Cornelia anxia corvum observabat; qui autem, placentis intentus, nihil amplius locutus est.

Tum militi Publius: "Tu, nisi fallor," inquit, "saepe adfuisti, cum acriter pugnaretur."

"Vera dicis," inquit miles. "Longinquas in oras penetravi, et terra marique proeliis multis interfui."

"Nonne vis," inquit Publius, "de his rebus aliquid nobis narrare?"

"De meis rebus gestis semper invitus loquor," inquit veteranus. "Sed quidam centurio, familiaris meus, facinora egregia saepe ausus est, quae ego verbis satis dignis exprimere nullo modo possum."

"De eo igitur dic," inquit Publius, "si de te ipso nihil vis loqui."

At miles: "Olim ille centurio in praesidio aeger relictus erat. Morbo tantopere vexabatur, ut diem iam quintum cibo careret, cum subito in illa castra hostes impetum acerrimum fecerunt.

"Tum ille, suae atque omnium salutis diffusus, cum inermis e tabernaculo prodiisset, hostes videbat maxime imminere, remque summo in discrimine esse.

“Arma igitur cepit a proximis, atque ipsa in porta castrorum fortissime constitit solus. Hunc autem celeriter secuti sunt centuriones eius cohortis, quae eo tempore in statione erat.

“Ita proelium est restitutum. Iam autem, gravibus acceptis vulneribus, hominem animus reliquit, ac vix per manus traditus servatus est.

“Hoc tamen spatio interposito, reliqui mente iam confirmata munitiones virtute tanta defendere coeperunt, ut hostes desperata castrorum expugnatione, trans flumen Rhenum brevi se recipere.”

“Optime factum!” inquit Publius. Tum ex ostio prospiciens: “Sed servum nostrum Onesimum appropinquantem video, et existimo statim nobis proficiscendum esse. Quare vive et vale, senex, et hanc tibi accipe.” Quo dicto, homini gemmam parvam tradidit.

“Cedo alteram,” inquit corvus, qui iam placentas omnes consumpserat.

Quo audito, omnes riserunt; et Publius, dum ad redas se recipiunt: “Verbis huius corvi,” inquit, “admoneor de quodam centurione, qui olim in Germania ordinem duxit.

“Ei per iocum milites cognomen ‘Cedo-alteram’ indiderunt, quod, cum virgam in tergo militis fregerat, alteram clara voce ac rursus aliam posebat.”

“Hahahae!” inquit Sextus. “Cognomen aptum! Sed gaudeo me in illo exercitu non stipendia fecisse.”

Iam ad redas perventum est; ubi Drusilla, cum escenderet, lagunculam e manu forte dimisit; quo casu fracta est. Itaque Annae illa: “Cedo alteram,” inquit.

Quo dicto, risus maximus exortus est; cumque matri, tantae hilaritatis causam quaerenti, totam rem exposuissent, liberi postea temperare non potuerunt quin interdum ex intervallo haec omnia reminiscerentur cachinnosque revocarent.

Sic huius diei iter totum feliciter confectum est, atque solis occasu viatores Mutinae constiterunt.

## CAPUT XLIV

Postero die, cum ex oppido egressi inter agros et vineas leniter veherentur, Drusilla: "Me maxime miseret," inquit, "hominum pauperum, qui ruri habitant et annum totum negotiis laboriosis operam dare coguntur. Hac vita quid molestius cogitari potest?"

"Tuæ sententiæ, mater," inquit Publius, "poetæ saltem nullo modo assentiuntur. Nam plerique volunt nihil vita rustica beatius esse;—velut Horatius Flaccus, qui ita loquitur de agricola, quem defessum uxor sub noctem domi expectat:

Quid si pudica mulier in partem iuvet  
 Domum atque dulcis liberos,  
 Sacrum vetustis exstruat lignis focum.  
 Lassi sub adventum viri,  
 Claudensque textis cratibus lætum pecus  
 Distenta siccet ubera,  
 Et horna dulci vina promens dolio  
 Dapes inemptas adparet?"

"Agricola quidem mihi beatus esse videtur," inquit Cornelia, "cum uxor tam toleranter hæc omnia ministeria sibi sumpserit."

Cum omnes adrisissent, Cornelius: "Illis versibus," inquit, "admoneor de quibusdam verbis poetæ Lucreti, quæ eorum sententiam exprimunt, quibus miserrimum videtur talia gaudia morte dimittenda esse. Si recte memini, sic ille loquitur:

Iam iam non domus accipiet te læta neque uxor  
 Optima, nec dulces occurrent oscula nati  
 Praeripere, et tacita pectus dulcedine tangent."

"Certe omnes," inquit Publius, "quos hic in agris laborantes adhuc aspexi, robusti esse et validitudine optima uti videntur."



“Res ita se habet,” inquit pater. “Quin etiam his in locis Caesar dictator delectus saepe habere solebat; et iuvenes harum regionum pererumque ex agricolis milites optimi facti sunt.”

“Parentes credo,” inquit Sextus, “semper gavisos esse, cum eorum filii eligerentur, qui Caesare duce stipendia facerent.”

“Haud omnes puto gavisos esse,” inquit Publius. “Nam ubique semper sunt nonnulli, quibus bella omnia molesta sint. Velut apud Suetonium nuper quaedam legi quodam de patre, qui filios suos duce quolibet militare noluit.”

“De hoc narra, sis,” inquit Sextus. “Audire cupio.”

“Haud longum est dicere,” inquit frater: “Pater, qui erat eques Romanus, duobus filiis consulto pollices amputavit, ne illi unquam arma militaria tractare possent.

“Quod ubi audivit, Augustus imperator, causa cognita, patrem eiusque bona omnia hastae subiecit; sed ipsum suo liberto addixit, ut in agros tantum relegaretur.

“Quare credo illis quoque temporibus, cum Caesar in Gallia bella gereret, nonnullos fuisse, qui filios suos domi retinere mallent.

“Nec vero praetermittendum est fuisse tum rem magni periculi Alpes transire et per longinquas gentes ignotas iter facere. Plurimi, qui laeti eo profecti sunt, numquam domum ad parentes redierunt.”

“Caesare duce,” inquit Sextus, “fuitne militia durissima?”

“Durissima erat,” inquit pater, “et ipsi Caesari et militibus qui onera ferebant, muniebant castra, ac cum hostibus proelio congrediebantur. Sed circum se habebat Caesar etiam quosdam adulescentes nobiles, qui praedae magis quam proeliis studebant.”

“De hoc amplius, si vis,” inquit Sextus. “Nam non cognoveram Galliam esse terram opulentam, unde praedae amplissimae domum reportari possent.”

“Nec vero res se habet,” inquit pater. “Sed illis temporibus fama erat et ibi et in Britannia esse vim maximam auri argentine cum gemmis plurimis; quare iuvenes multi eo proficisci volebant, si forte inde divitiis onusti domum brevi redirent.

“Quo modo factum est ut Caesar, qui gratiam Ciceronis sibi conciliare cupiebat, litteras olim Romam scripsit, quibus eum hortabatur ut in Galliam mitteret aliquem iuvenem, quem beneficiis oneraret.

“Hae litterae opportunissime adlatae sunt eo ipso tempore, cum Cicero dubitaret quo modo fortunas C. Trebati, iuvenis bono genere nati ac iure peritissimi, ipse adaugere posset. Hunc igitur ad Caesarem dimisit.

“Trebatius vero, cum cognovisset in Britannia et auri et argenti minimum esse, in eam insulam cum Caesare transire noluit. Quo audito, litteris eum irrisit Cicero, quod ‘neque in Oceano natare vellet, neque essedarios Britannos spectare, etsi esset homo natandi studiosus, nec Romae ullo spectaculo umquam defraudari potuisset!’”

“Hahahae!” inquit Sextus. “Bonamne in partem Trebatius haec verba accepit?”

“Ita vero,” inquit pater. “Nam libentissime cum Cicerone semper iocabatur; ac paulo post, cum iam postremo militiam fortiore animo ferre coepisset, Cicero non dubitavit etiam haec ad eum scribere: ‘Tu me velim de ratione Gallici belli certiozem facias; ego enim ignavissimo cuique maximam fidem habeo.’”

“Papae!” inquit Sextus. “Etsi ambo iocandi studiosi erant, haec verba mihi paene contumeliosa videntur. Sed quid postea factum est?”

Ac pater: “Romam reversus, Trebatius multos annos in foro iudiciis operam dedit, neque umquam natandi studium deposuit. Nam Horatius Flaceus narrat eum iam aetate provecta solitum esse eos monere, quibus somno alto opus esset, ut ter Tiberim transirent.”

Dum sic inter se loquuntur, ad locum tam amoenum perventum est, ut orarent liberi, ut sibi descendere liceret; nam ubique flores et fruges aspiciebantur.

Cornelius, qui ultra oppidum Parmam hoc die iter facere non cogitaret, equos consistere iussit, atque omnes ex redis descenderunt. Tum, cum ceteri in umbra arborum altarum consedisent, liberi aliquamdiu in agris laeti cursitabant.

Postremo Sextus et Cornelia plenīs manibūs redierunt; quibūs mater: "Quid nunc invenistis?" inquit.

"Ecce pruna lepida, mater," inquit Sextus. "Tam multa sunt, ut rami bacarum ubertate incurvescant."

"Sine ea propius aspiciam," inquit Drusilla. "Metuo ne cruda sint; nec vos in itinere morbo gravi affici volo."

"Noli timere, mater," inquit ille. "Haec quidem matura sunt." Quae cum dixisset, ore excepit prunum, quod Cornelia in sublime iecerat.

"Omitte hoc facere, mi fili," inquit Drusilla iterum. "Lusus hic periculosus est. Si prunum in gutture tuo haeserit, anima interclusa mortem brevi obibis."

"Bono es animo," inquit ille ridens. "Ut enim est in vetere proverbio: 'Quem di diligunt, adulescens moritur'. Quare certo scio me provecta aetate moriturum; quis enim dicere audeat me nimis bonum esse?"

"Nihilominus," inquit Publius, "timor matris haud vanus est. Nam Drusus, imperatoris Claudi filius, piro olim per lusum in sublime iacto et hiatu oris excepto, strangulatus esse traditur."

Quo audito, Cornelia pruna reliqua abiecit. Sed iam erat tempus abeundi; quare viatores iterum in redas escenderunt, ac sub noctem ad oppidum Parmam perventum est.

## CAPUT XLV

Cum rursus iter ingredi coepissent, Cornelius: "Hodie," inquit, "spero nos Placentiam perventuros, ubi demum solvendae sunt litterae, quas nobiscum obsignatas portamus. Tum cognoscetur quo ab imperatore abire iussus sim."

Tum Drusilla: "Itineri adhuc tam intenta fui, ut paene obliviscerer te brevi a nobis discessurum. Sed nunc nihil mihi longius videtur quam dum istae litterae solvantur, ut sciamus quam longe absint loca ea, quo tibi eundum est."

"Quam vellem," inquit Publius, "ut mihi te comitari liceret, pater!"

"Id nullo modo fieri potest, Publi," inquit pater, caput quassans. "Sed tu, dum abero, pro patrefamilias eris, tibi que omnia committo."

Quo audito, honore insperato elatus Publius hilariore vultu se circumspicere coepit, ac paulo post: "Nonne nunc, pater," inquit, "in eas regiones pergimus, ubi Vitelliani cum copiis Othonis olim confixerunt?"

"Probe dicis," inquit Cornelius. "Interiacet flumen Padus; sed a via, qua nunc iter facimus, vix decem milia passuum distat oppidum Cremona, apud quod commissum est illud proelium, de quo mentionem facis.

"Vitellius tum ipse, ut forte meministi, e Germania nondum pervenerat nec proelio interfuit. Cum autem Romam iter faciens in has regiones esset progressus, ac sepulchrum Othonis videre vellet, Cremonenses, altaribus exstructis caesisque victimis, laru rosaque viam constraverunt, quasi rex ille esset Persarum.

"Cuius adulationis oppidani infelices postea poenas maximas dedecerunt. Nam ubi Vespasianus, a militibus suis imperator salutatus, in Italiam copias praemisit, cum his ad Cremonam congressi, Vitelliani fugati sunt, et se receperunt in urbem; hostes autem sub moenibus necessario constiterunt.

“Ibi Vespasiani dubitabant paulisper utrum urbs sine mora oppugnaretur necne. Tum factus est impetus acerrimus, cui Vitelliani et oppidani fortiter restiterunt. Sed frustra; nam brevi velamina et infulas e muro ostentare coacti sunt.

“Quo animadverso, Antonius Primus, qui copias Vespasianas ducebat, tela suorum inhiberi iussit, ac Vitelliani victi signa et aquilas maesti extulerunt. Quos tamen Antonius clementer adlocutus est, etsi de oppidanis nihil certi promisit.

“Ipsius milites, praedae cupiditate instincti, moleste iam ferebant se in urbem non statim immissos, cum res fortuita perniciem imminentem Cremonensibus miseris acceleravit.

“Nam Antonius, qui ad sanguinem abluendum balneas petierat, aquae teporem casu incusavit. Cumque servus respondisset statim fore ut incalesceret, haec verba ambigua cupide excepta sunt; et celeriter vulgatum est Antonium ipsum sic locutum esse, atque his verbis Cremonae incendendae signum dedisse, quae re vera iam flagrabat.

“Quadraginta milia armatorum in urbem inruperunt; ubi nec dignitas sua nec aetas quemquam protegebat. Nam grandaevi senes feminaeque provecta aetate, viles ad praedam, ludibrio habebantur, et pecunia deorum ac templorum dona direpta sunt. Cumque praeda omnis egesta erat, milites faces in domos direptas ac templa vacua iaciebant. Quattuor dies Cremona flagravit, omniaque sacra et profana igni consumpta sunt.”

Haec verba primo omnium animos tristi imagine confuderunt; cumque paulisper taciti sedissent, Publius summissa voce:

“Tum vero omne mihi visum considerare in ignis  
Ilium, et ex imo verti Neptunia Troia.”

Interim equi libenter redas vehebant, donec paulo post meridiem viatores constiterunt, ut fames cibo depelleretur. Quo facto, liberi Annam rogaverunt, equid ex annalibus gentis suae narrare vellet.

Illa autem: "Dum de oppugnatione Cremonae pater vester loquitur," inquit, "mihi in mentem venit, quo modo urbs Ierico a nostris expugnata esset. Si audire vultis, hoc vobis dicere possum."

"Iam quidem nihil magis cupimus," inquit Sextus. "Quare incipe, sis."

"Urbe undique obsessa," inquit Anna, "Iosue, qui nostros ducebat, a deo monitus, sacerdotes e penetralibus sacra prolata iussit circum moenia ducere, cum interim clare tubis canerent.

"Sacerdotes milites armati antecederant; cetera turba pone sequebatur. Sed clamor omnino aberat, nec vox ulla est audita.

"Hoc idem reliquis deinceps diebus factum est. Sed die septimo, mane profecti, moenia septies circumierunt omnes. Tum tubae cecinerunt ac clamor maximus sublatus est. Quo sonitu moenia labefacta corruerunt; et nostri, undique coorti, per ruinas muri impetum fecerunt atque urbe potiti sunt.

"Ibi mulier, Rahaba nomine, quae quosdam speculatores nostros antea benigne acceptos occultaverat, una cum suis omnibus servata est; sed hostes ceteri ad unum trucidati sunt, atque etiam pecora ferro perierunt."

"De speculatoribus istis," inquit Sextus, "amplius audire velim."

"Illi," inquit Anna, "paucis ante mensibus ad urbem venerant, ut loca explorarent; quoque occultius id facerent, ad Rahabam deverterunt. Adventu tamen eorum cognito, rex nuntios ad mulierem misit, ut statim traderet eos, quos apud se haberet.

"Quae autem hospites ad solarium aedium deductos ibi occultavit, ac nuntiis respondit homines modo ad flumen Iordanem profectos facile comprehendi posse, si milites statim insequi vellent. Militibus ad flumen dimissis, portae urbis oclusae sunt.

"Tum Rahaba hospites de solario reduxit, atque eis pollicita est se exitum tutum ostenturam esse ea condicione, ut iurarent se invicem gratiam relatores, si quando urbs a nostris capta

esset. Condicione accepta, speculatores mulierem iusserunt urbe capta in fenestra funiculum coccineum ostentare, quo facilius domus eius ex interitu universo eximeretur.

“His rebus constitutis, homines per funem demissum ad terram lapsi sunt; nam domus moenibus urbis coniuncta erat. Cumque milites regis ad vada fluminis properavissent, speculatores montes petierunt, ubi se occultarent, donec clam evadendi facultas esset oblata.”

Cum Anna finem dicendi faceret, accessit Publius. Quem cum ridentem animadvertisset, Cornelia: “Numquid novi factum est, frater?” inquit. “Cur rides?”

At ille: “Dum in agris vagor,” inquit, “servo cuidam et ancillae haud procul occurri. Ille ambulabat securus, ancilla autem muletra gravia ferebat. Tum servo ego: ‘Quo nomine te vocem?’ inquam. Ac ille: ‘Crastinum me vocant’.

“‘Neque ecaster iniuria ita faciunt’, inquit ancilla asperius. ‘Tu enim tam iners es, ut numquam facias ea, quae ullo modo in posterum diem differri possint’.

“‘Ohe, mel meum’, inquit ille. ‘Cur semper mihi tam saeva?’

“At ancilla: ‘Cave me mel tuum voces, stulte, aut te statim docebo linguae tuae melius moderari’; quo dicto muletrum graviter in eius caput impegit. Haec cum vidissem, sine mora abii, cum nescirem quo res denique evasura esset.”

“Eos requiramus,” inquit Sextus. “Fortasse rixa nondum ad finem est adducta; atque ego libentissime talia video.”

“Sero hoc rogas,” inquit Publius; “omnia enim ad proficiscendum parata sunt. Pater Placentiam quam primum venire vult, ut itineris conficiendi consilia hodie constituentur.”

Quae ubi dicta sunt, omnes in redas escenderunt; ac hora fere nona moenia urbis iam in conspectu erant.

## CAPUT XLVI

Ubi in oppidum perventum est, viatores statim ad cauponem deverterunt, ut sine mora litterae obsignatae solverentur. Intus scriptum erat Lugdunum usque Cornelio iter faciendum esse, eumque ibi cogniturum quid porro agendum esset.

“Omnia tam incerta sunt!” inquit Drusilla suspirans. “Fortasse, coniunx, annum totum a nobis aberis.”

“Unum saltem certum est,” inquit Cornelius. “Mane ad Galliam Transalpinam mihi proficiscendum est. Nunc autem rationes quaedam sunt conficiendae; et nonnulla sunt, quae Publio nostro praecipere volo.”

Quae cum dixisset, Onesimum arcessivit, ac cum Publio se recepit in conclave parvum; ubi duas horas negotiis variis opera data est.

Interim liberi, qui non habebant quo modo otium oblectarent, paulisper tacentes sederunt. Tum Annae Sextus: “Lepida fuerunt ea, quae hodie nobis narravisti,” inquit; “et unum adhuc restat, quod ego rogare velim. Dixisti etiam pecora esse trucidata, cum Ierico capta esset. Quid, obsecro, de auro argentoque et ceteris opibus incolarum est factum?”

“Urbs tota est incensa,” inquit Anna; “sed aurum argentumque et vasa aut aënea aut ferrea in aerarium dei supremi delata sunt omnia; nam ita praeceptum erat.”

“Nihilominus,” inquit Sextus, “mihī mirandum videtur milites voluisse tantam praedam e manibus suis dimittere.”

“Unus erat, Achan nomine,” inquit Anna, “qui cupiditati suae moderari non potuit, ac quandam vestem splendidam magnamque vim auri et argenti in tabernaculum reportavit suum ibique humi operuit.

“Nec vero deus irae suae signa dubia dedit. Cum enim nostri iterum cum hostibus proelio congressi essent, magna caede fusi terga verterunt; nam non diutius aspectum adversariorum ferre poterant.



“Hac mutatione rerum vehementer commotus, Iosue deum consuluit quam ob causam hoc tantum malum incidisset. Cui responsum est aliquem, cupiditate inductum, aurum argentumque sacrum in suum tabernaculum reportasse; qui ut eligeretur, sortes ducendas esse.

“Hoc responso accepto, Iosue populum per gentes familiasque evocavit; ac, sortibus ductis, Achan designatus est. Tum ille dixit se, praeda optima oblata, temperare non potuisse quin vestem et aurum argentumque sibi auferret.

“Quae ubi cognita sunt, missi ad tabernaculum praedam absconditam invenerunt. Tum Iosue et populus universus in quandam vallem civem scelestum et filios filiasque una cum bobus et asinis deduxerunt.

“Ibi cum sontes saxis obruti essent, strue facta, Achan et liberi, una cum pecudibus et ipso tabernaculo totaque praeda, igni consumpti sunt. Sic ira dei placata est.”

Tum Drusilla, quae quoque haec attente audierat: “In avaritia,” inquit, “quantum est mali!” Profecto a poeta probe dictum est:

Quid non mortalia pectora cogis,  
Auri sacra fames!”

Postquam gratiae Annae actae sunt, liberi paulisper cum Lucio luserunt. Tum cenae tempus haud aequo animo exspectabant; sed postremo pater et Publius, negotio confecto, ad ceteros redierunt, ac simul nuntiatum est cenam adpositam esse.

Vix mensae remotae erant, cum voces acerbae et cachinni maximi ex area audiebantur. Quare Publio pater: “Abi,” inquit, “ac quaere huius tumultus quae causa sit. Semper enim suspicor Stasimum nostrum denuo turbas dare, cum sonitus tales audiuntur.”

Publius, haud invitus foras egressus, tam diu aberat ut omnes mirarentur quid novi iam accidisset, cum subito clamor iterum sublatus est.

Quo audito, Cornelius quoque cum liberis celeriter prodiit atque in area occurrit Publio, qui ad tecta Stasimum manu ducebat.

“Opinio mea, ut videtur, minime me fefellit,” inquit Cornelius. “Quid mali nunc fecisti, sceleste?”

Sed Stasimus demisso vultu nihil respondit. Quare Publius: “Cum in aream pervenissem,” inquit, “ibi vidi quendam servum edentulum, qui ex agris rediens et aestu fatigatus e via deverterat, ut in umbra se recrearet, ibique imprudens consopitus est.

“Dum humi stertit, praeteriit aliquis, qui ei per iocum os fuco oblevit. Qua re excitatus, senex, qui tamen non sentiebat os sibi fucatum esse, huc semisomnus pervenit.

“Servi ceteri, cum eum aspexissent, in cachinnos maximos effusi sunt; et ille iratus saeviebat. Tum ego, ex aedibus egressus: ‘Quis, obsecro, senex,’ inquam, ‘te sic ludibrio habere ausus est?’

“‘Nescio’, inquit ille. ‘Hominem abeuntem vix aspexi. Nihil animadverti nisi pedes, qui permagni erant’.

“‘Perii herele’, inquam. ‘Cum pedes dixisti, dixisti omnia. Stasimus noster certe est’.

“Dum sic loquimur, respicio, et ecce Stasimus ipse, alia via adveniens, tam tranquillus et securus quam si ipse quidem nihil umquam commisisset.

“Cui ego: ‘Quid nunc, mastigia? Quam saepe admonitus es ne ignotos sic ludificares?’

“Interim servus senex clam a tergo subibat; qui subito ut aries in Stasimum aversum impetum fecit eumque pronum in caput praecipitavit. Tum sublatus est ille clamor, qui te foras excitavit. Em totam fabulam.”

Haec ubi audita sunt, Stasimus intro dimissus est, ac Sexto pater: “Tu quoque i intro,” inquit, “et matri nuntia tempestatem esse serenam, nosque omnes sub divo paulisper morari posse, si ita velit.”

Quo nuntio adlato, Drusilla cum Anna et Lucio libenter egressa est; quos omnes Publius deduxit in hortum, ubi subsellia complura collocata erant.

Cum ibi consedisent, patri Sextus: "Utinam," inquit, "Cremonae adeundae facultas daretur! Ego enim urbem igni deletam numquam vidi."

"Metuo ne tu in errorem magnum incideris, mi fili," inquit Cornelius. "Nam post incendium imperator Vespasianus ut Cremona restitueretur hortatus est, et municipia finitima omnibus modis adiuverunt oppidanos, qui domos et templa reficere volebant. Sic factum est ut urbs brevi denuo floreret."

"Nonne etiam secundo bello Punico quaedam in his regionibus acta sunt?" inquit Publius.

"Maxime vero," inquit Cornelius. "Quin etiam Placentia ipsa tum Romanis aliquamdiu erat sedes belli, atque huc se recepit Scipio vulneratus, cum ad flumen Ticinum equestri proelio pulsus esset."

"Quid deinde a nostris factum est?" inquit Sextus.

"Cum copiae Hannibalis quoque Padum transissent," inquit pater, "Scipio obviam iit usque ad flumen Trebiam, quod hinc minus quinque milia passuum abest. Ibi castra posuit, ut adventum Semproni, collegae sui, exspectaret.

"Collega, cum pervenisset, coniunctis copiis statim decertare voluit; Scipio autem, qui modo equestri proelio pulsus et vulneratus esset, ut bellum traheretur hortatus est. Hiems erat et tempestas perfrigida. Sed subito mane equites Numidae flumen transgressi, ad castra Romanorum accesserunt, si forte nostros ad pugnam elicere possent.

"Tum Sempronius, morae impatiens et cupiditate pugnandi elatus, consilio collegae repudiato, milites e castris eduxit; cumque Numidae cessissent consulto et aquam ingressi essent, omnibus copiis ille secutus est.

"Vis frigoris tanta erat, ut nostris, cum e flumine emersissent, manus gelu rigidae arma vix tenere possent. Nihilominus refugientes Numidas constanter insequabantur, cum subito occurrit maior pars hostium, quae adhuc quietam exspectaverat.

“Cum his quoque Romani congressi fortiter pugnaverunt. Sed iam equites hostium ex lateribus fecerunt impetum; ac Mago, qui in insidiis locatus erat, a tergo quoque aggressus, maximum tumultum ac terrorem intulit. Quibus rebus nostri in orbem pugnare coacti sunt.

“Postremo circiter decem milia, impetu acerrimo facto, per mediam aciem perruperunt hostium, ac Placentiam se receperunt. Alii multi in proelio iam perierant; alii aut aqua absumpti sunt aut in ripis fluminis ab hostibus oppressi.

Poeni tamen dicuntur in castra sua tam torpentes gelu rediisse, ut vix laetitiam victoriae sentirent. Romani dissipati, qui ex proelio supererant, Padum traducti, a Scipione Cremonam deducti sunt, ne duorum exercituum hibernis una urbs premeretur.”

Nox iam tenebras suas attulerat, et mater liberos hortata est ut cubitum irent, quod pater postero die mane abiturus esset; illi autem oraverunt ut sibi hac nocte ultima diutius morari liceret. Potestate facta, ad multam noctem tempus sermone vario trahebatur; tum omnes se quieti dederunt.

## CAPUT XLVII

Prima luce Cornelius, cum mandata ultima Publico dedisset, uxorem liberosque amplexus, in redam cum Onesimo escendit, ac celeriter profectus est; nec Drusilla nec Cornelia lacrimis eum abeuntem prosequi prius destiterunt quam omnino e conspectu discessit.

Tum Publius, sua auctoritate insolita laetus, tabellario Comum cito equo ad patrum praemisso, in redas omnes escendere iussit, atque ex oppido cursum direxit. Cui Sextus, dum flumen Padum ponte transeunt: "Quo nunc tendimus, frater?" inquit. "Quam longe abest Comum et patrum villa?"

At Publius: "Si omnia prospere procedent," inquit, "hodie Mediolanum usque iter faciemus. Cras spero nos ad finem itineris perventuros esse."

"Miror quam mox litterae a patre adferantur," inquit Cornelia. "Lacrimas vix teneo, dum cogito eum fortasse multos menses afuturum."

"Bono es animo," inquit Drusilla, quae vultu laetitiam simulabat, cum dolorem magnum mente sentiret. "Pollicitus est se certis intervallis missurum tabellarios, et litteras alias quoque daturum, quotienscumque occurrisset aliquis, qui in Italiam iter faceret. Cum demum Lugdunum pervenerit, tum denique ille coniecturam facere poterit, quam mox ad nos redire possit."

Tum Sextus: "Publius," inquit, "onere officii suscepti tam occupatus esse videtur, ut nobiscum vix colloqui velit. Quare necessario ad te, mater, spectamus, ut aliquid narres, quo iucundius dies transeat."

Ac Drusilla, quae mentes liberorum a discessu patris avertere volebat: "Memini," inquit, "me saepe audire fabulam de iuvene et puella, qui Babylone abhinc multos annos iniquo fato perierunt. De his audire vultis?"

“Ego audire volo,” inquit Cornelia, “nisi fabula nimis tristis est.”

“Exitum certe haud laetum habet,” inquit mater; “sed res ipsa memoratu dignissima est.”

“Ecquid inest,” inquit Sextus, “de elephantis aut aliis beluis, quae in illis regionibus longinquis reperiuntur?”

“Brevi scies,” inquit Drusilla, cum Lucium Annae traderet: “Pyramus et Thisbe, de quibus haec fabula narratur, domos habebant vicinas. Diu inter se amabant; cum autem Pyramus virginem in matrimonium ducere vellet, pater vetuit.

“Primo amantes, ab omni spe destituti, quid facerent non habebant. Tum forte animadverterunt parietem domui utrique communem fissum esse tenui rima, quam duxerat longe ante, cum fieret.

“Quam rimam vocis iter fecerunt. Cumque constiterant, hinc Thisbe, illic Pyramus, summissa voce inter se multa loquebantur. Tum sub vesperum, postquam uterque suae parti parietis oscula dederat, ‘vale’ maesti dicebant.

“Postremo, huius morae tam longae impatientes, silentio noctis custodes fallere constituerunt et foras exire, ut demum nullo prohibente libere colloquerentur. Atque in tenebris ne errarent, locus certus haud procul a fonte gelido constitutus est, quo convenire possent.

“Thisbe prior egressa, incolumis ad locum destinatum pervenit. Dum autem ibi sub arbore sedet, ecce leo, qui modo bovem dilaniaverat, ut sitim depelleret, ad fontem accessit. Quo viso, Thisbe pavida in speluncam vicinam refugit, velamine relicto, quod a tergo delapsum erat.

“Leo, siti depulsa, dum in silvas redit, velamen forte inventum ore cruento discrepsit; quod sanguine tinctum cum Pyramus, serius egressus, per lunam animadvertisset, perterritus se circumspiciens in alto pulvere ferae certa vestigia vidit.

“Tum iuvenis, vix compos mentis, Thisben sine dubio laniatam esse ratus, se vehementer incusans, quod puellam teneram in loca tam periculosa solam prodire passus esset,

velamen sublatum ad arborem secum tulit; atque ibi, cum vesti notae lacrimas et oscula multa dedisset, in gladium suum incubuit.

“Dum ille humi moribundus iacet, Thisbe, ne amantem falleret, e spelunca rediit, etsi magno ex metu nondum se recreaverat. Quae cum Pyramum moribundum et vaginam gladio vacuam vidisset, capillo discisso clare ploravit, corpusque amantis amplexa, ad vitam eum revocare conata est. Sed frustra.

“Tum: ‘Tua manus’, inquit, ‘amorque te perdidit, infelix. Et mihi est manus fortis et amor. Persequar te mortuum, nec vero morte ipsa a me revelli poteris’.

“Quo dicto, ea quoque in gladium incubuit. Sic illi, quos parentes diiungere voluerant, in morte coniuncti sunt, atque amborum cinis una in urna requiescit.”

Liberi animis intentis matrem haec narrantem audierant, Cornelia vero vultu haud hilari, sed Sextus: “Miror, mater,” inquit, “te talia narrare audere, cum Publius adest. Semper enim ille de puellis cogitat, ac metuo ne quando Pyramum aemulari conetur.”

“Etiam taces?” inquit Publius rubescens. “Puerum te procaciorem numquam vidi! Si sapiens, malum cavebis.”

“Noli irasci, mi fili,” inquit Drusilla; “id enim nihil proficit. Nam nescio quis bene dixit: ‘Spreta exolescunt; si irascere, agnita videntur’.”

“Haec verba non intellego, mater,” inquit Cornelia. “Nonne planius sententia dici potest?”

“Multo vero,” inquit Drusilla. “Vide si hoc facilius intellegi potest: ‘Si maledicta negligas, omnes ea obliviscuntur; sin autem irascere, tum omnes credunt vera esse ea, quae dicta sunt’.”

“Iam intellego,” inquit Cornelia; “et his verbis bene praecipere ego quoque existimo.”

Viatores, cum complura milia passuum iter fecissent, paulo ante meridiem constiterunt horamque fere in umbra arborum morati sunt, ut equi reficerentur.

Interim Sextus, qui latius vagatus erat, ad Publium accessit, et: "Cum tu," inquit, "nunc te pro patrefamilias geras, censeo omnia ad te referenda esse. In agro haud procul est arbor, cuius in ramis copiam maximam pomorum optimorum animadverti. Rogo ut mihi liceat in hanc arborem ascendere, ut poma pauca inde legam."

Publius, fratris obsequentia tam insolita gaudens: "Licet," inquit. "Agricola profecto nobis pauca poma non invidet."

Tum Sextus: "Maximas tibi gratias ago, frater," inquit, "cum potestatem mihi tam comiter feceris. Nunc aequo animo confiteri possum me iam paulo ante ascendisse in arborem, et, pede fallente, ramos aliquot fregisse. Gaudeo id non iniussu tuo factum esse."

Quo audito: "Quid est, puer nequam?" inquit Publius ira percitus. "Itane me impune deludi posse putas? Moriar, nisi efficiam ut te paeniteat umquam in istum agrum pervenisse!"

"Cur, obsecro, frater?" inquit Sextus, quasi iniuria increpatus; "nonne tu ipse mihi permisisti, ut in arborem escenderem?"

Priusquam Publius respondere posset, advenit agricola, qui pro damno inlato satisfactionem postulabat. Quem cum Publius aureo contentum dimisisset, omnes iterum in redas escenderunt, et leniter Mediolanum versus vecti sunt.

Interim Sextus, astutia sua elatus, interdum ex intervallo ridebat. Sed Publius, auctoritatem suam ita ludibrio habitam dolens, duas per horas cum ceteris vix colloqui voluit.

Haud multo ante vesperum in oppidum perventum est; ubi viatores ad quendam cauponem, cuius fama Placentiam usque ad eos pervenerat, libenter deverterunt.



## CAPUT XLVIII

Post cenae tempus liberi aliquamdiu luserunt; tum, luminibus accensis, cum matre sedebant, dum Anna Lucium consopire conatur. Et postremo Cornelia: "Miror," inquit, "quo pater hodie pervenerit."

"Nescio," inquit Drusilla; "sed profecto Ticinum usque progressus est; ac fortasse etiam longius iter fecit, et nunc aliqua in villa noctem agere parat."

"Memini," inquit Sextus, "patrem mentionem facere de flumine Ticino, ubi Scipio ab Hannibale equestri proelio victus est. Eodemne igitur nomine et urbs et flumen vocatur, mater?"

"Nomina similia sunt," inquit illa; "sed est flumen Ticinus, et oppidum Ticinum. Urbs in ripa fluminis posita est."

Sed iam Publius, qui aliquamdiu afuerat, ad ceteros rediit, et: "Ad iter cras conficiendum," inquit, "omnia nunc demum parata sunt."

"Cur tam diu aberas?" inquit Cornelia.

At ille: "Dum foris negotiis variis operam do, caecum militem vidi, qui dixit se olim in Britannia stipendia fecisse."

"Quo casu evenit," inquit Sextus, ut caecus esset? In acie vulneratus est?"

"Ipse funda se in adversum os ictum esse dixit," inquit frater. "Sed haec omnia abhinc multos annos acciderunt; et nunc casum suum aequissimo animo fert. In via canis fidelis eius vestigia regebat; ac mihi gratias maximas egit, cum ei in manum denarios aliquot tradidissem. Diu cum eo loqui volui; sed res tam multae et variae curandae erant, ut ibi morari non possem."

"Age, Publi," inquit Sextus, "a principio exorsus aliquid de Britannia nobis narra."

Quo audito, Publius: "Ante adventum Caesaris in Galliam haec insula paene incognita erat. Quin etiam ipse dicit tum vix ullos praeter mercatores eam adire solitos esse, neque his ipsis quidquam praeter oram maritimam notum fuisse.

“Quare Caesar, cum eo transire in animo haberet, C. Volusenum cum navi longa praemisit, qui omnia prius exploraret. Eo regresso, ipse transvectus est, ac primo rem feliciter gessit.

“Sed noctu naves longae, quae in litus subductae erant, aestu maximo completae sunt; et onerariae, quas ad ancoras deligaverat, fluctibus sunt affictatae.

“Qua re evulgata, Britanni, fortunae opportunitate usi, bellum alacres renovaverunt. Quos tamen Caesar proeliis fudit prosperis; tum, quod hiems suberat, obsidibus acceptis, ad continentem se recepit.

“Postero anno in insulam reversus, cum ultra flumen Tamesim progressus esset, hostibus undique superatis, obsides plures imperavit, atque extrema aestate in Galliam transvectus est.

“Sed ne proxima quidem pars insulae ita ab eo perdomita erat. Et scriptor Tacitus iure dicit Caesarem, etsi prosperis pugnis terruerit incolas et litore potitus sit, Britanniam posteris magis ostendisse videri quam tradidisse.

“Postea insulae longa oblivio fuit; sed annorum fere centum intervallo opus renovatum est ab imperatore Claudio, quo auctore legiones sunt transvectae, domitae gentes et reges quidam capti sunt.

“Ex illo tempore pars proxima Britanniae paulatim in formam provinciae redacta est. Varia autem fortuna res agebatur, donec Iulius Agricola, Taciti socer, insulae praepositus est.

“Ille incolas et aestate et hieme laecessivit. Quin etiam longe in Caledoniam penetravit, cum prius, ubi insula angustissima est, praesidia tam multa collocavisset, ut hostes quasi in aliam insulam submoverentur.

“Sed ne tum quidem perdomita est terra tota; ac multis post annis ab imperatore Hadriano in his regionibus limes transversus a litore ad litus ductus est, quo facilius impetus barbarorum coerceri possent. Nam etiam hodie homines, qui Caledoniam incolunt, cultum Romanum abnuunt, ac semper rebus novis student.”

“Haec omnia me cupiditate insulae adeundae incendunt,” inquit Sextus; “etsi haud velim, ut iste veteranus infelix, ibi oculos perdere.”

“Me spe oblecto,” inquit Drusilla, “nos diu pace frui iam posse. Pro patria mori decorum est, si ita fata ferunt; sed optima est vita quieta.”

Iam autem tumultu subito foris exorto, vox audita est ancillae, quae clare clamabat latrones in tecta inrumpere.

Quo audito, Publius, gladio arrepto, foras celeriter egressus est, ut, si opus esset, ministris subsidio veniret. Interim Sextus sub subsellium refugit, Drusilla autem cum ceteris trepida eventum expectabat.

Timor tamen non diutinus fuit; nam brevi Publius haud sine risu rediit, qui nuntiavit unum ex equis, vinculo abrupto, per aream vagantem ancillae terrorem iniecissee tantum, ut crederet latrones adesse.

Cum omnes se recreassent ex timore, et Sextus clam e latebris prodiisset: “Haec res me admonet,” inquit Publius, “de iudicio quodam Servi Galbae, qui priusquam a militibus imperator salutatus est, provinciae Africae olim praeerat.”

“Haec narra, sis, frater,” inquit Sextus, qui nolebat quemquam sentire se nuper in latebris fuisse.

“Olim asinus erat,” inquit Publius, “cuius de proprietate controversia fuit. Res in iudicium delata est. Testibus autem levibus ob eamque rem difficili veri coniectura, Galba imperavit ut asinus ad lacum, ubi adaquari solebat, duceretur capite operto; tum, capite revelato, traderetur ei, ad quem sua sponte a potione rediisset.”

“Ille certe erat iudex sollers,” inquit Drusilla. Tum Sexto et Corneliae: “Sed vobis liberis tempus cubitum eundi iam adest. Cras enim multo mane est surgendum, ut, si fieri possit, ad patrum villam ante noctem perveniamus.”

“Velim nobis paulo diutius morari liceat,” inquit Cornelia; “nam credo Annam quoque aliquid narrare non nolle.”

Quo audito, Anna adrisit, et mater: “Licet,” inquit, “dummodo fabula brevis sit.”

“Euge!” inquit Cornelia. “Anna nostra semper iucunda auditu narrat.”

Tum Anna: “Rex noster Salomon, hominum omnium sapientissimus, maxima sollertia controversias diiudicabat. Velut olim ad eum venerunt duae mulieres, quae secum unum infantem adferebant, quem utraque suum esse affirmavit.

“E quibus altera: ‘Nuper, o rex’, inquit, ‘ex me et ex ista muliere filii nati sunt. Sed ista, suo puero mortuo, cum meum filium abstulisset, in gremio meo infantem mortuum deposuit. Quare ego, ubi experrecta sum, alterius filium in gremio inveni’.

“Tum altera: ‘Noli, o rex, ei credere’, inquit. ‘Hoc totum fictum est. Ego huius pueri vera sum mater’.

“Rex, cum haec audivisset, ministro imperavit ut gladium statim adferret. Quo adlato, iussit infantem vivum in partes duas discidi, ut mulier utraque aequam partem haberet.

“Tum illa, quae vere mater erat, in lacrimas effusa: ‘Isti mulieri improbae’, orat, ‘parvulum miserum trade incolumem, o rex. Noli, obsecro, eum trucidare’. Sed altera: ‘Statim discidatur, ut utraque nostrum aequam partem habeat’.

“Quo audito, rex ministrum iussit gladium recondere, puerum autem ei tradidit, quae amore suo palam fecerat se esse matrem veram.”

“Haec est fabula adprime lepida,” inquit Cornelia; “et gaudeo me unam demum rem audivisse, cuius eventus pulcherrimus erat.”

Liberi tum alacres discesserunt; ac brevi ceteri quoque se quieti dederunt.

## CAPUT XLIX

Postero die, priusquam reliqui gustaverunt, Stasimus foras egressus in via cum obviis loquebatur; cum enim has regiones numquam antea visisset, summo studio exquirebat omnia.

Postremo occurrit homo habitu peregrino, qui olim casu aliquo manum amiserat; pro qua unco ferreo utebatur. Ad quem Stasimus propius accessit ac de rebus variis loqui coepit.

Cumque unum ferreum aliquamdiu attentius observasset: "Die, hospes," inquit; "quo casu misero manum tuam amisisti?"

Ille autem nihil respondit, ac statim alia de re loqui contendit. Sed Stasimus, cognoscendi cupiditate incensus, acrius instabat et negabat se umquam hominem dimissurum, nisi id sibi respondisset.

Tum alter: "Hoc tibi respondebo," inquit, "si prius iuraveris te postea de hac re nihil amplius rogaturum."

"Optime," inquit Stasimus. "Per deos deasque omnes iuro me nihil de hac re postea rogaturum, si modo hoc unum mihi responderis."

"Manus mea," inquit alter, "beluae immanis morsu derepta est."

Tum omnes, qui circumstabant, cachinnos maximos sustulerunt; nam Stasimus, cognoscendi studio etiam vehementius incensus, iure iurando tamen impediabatur quominus plura quaereret. Sed opportune hora perfectionis iam aderat; quare ille haud invitus se recepit ad redas, quae ante ostium stabant.

Brevi omnes foras egressi escenderunt et laeti profecti sunt; nam hoc die ad finem itineris longi se perventuros sperabant. Nec vero prius constiterunt, ut cibus depromeretur, quam dimidium viae iam confectum est.

Liberi, cum paulisper in umbra lusissent, matrem rogaverunt numquid memoria dignum recordari posset.

Illa autem: "Brevi proficiscendum est," inquit; "sed fortasse pauca dicere possum de facinore atroci filiarum Danai, si haec numquam audivistis."

“Ego quidem numquam audivi,” inquit Cornelia. “Perge porro dicere, si vis, mater.”

“Danao, qui fuit Libyae rex, quinquaginta erant filiae,” inquit Drusilla; “frater autem Aegyptus, rex Arabiae, filios totidem habebat. Sed inter Danaum et filios Aegypti dissensio orta est, atque ille, insidias veritus, Libya relicta sedes novas in Graecia quaesivit.

“Paucis autem post annis filii Aegypti, mare transvecti, patrum suum adierunt rogatum ut eius filiae sibi in matrimonium darentur.

“Danaus, qui iniuriarum sibi inlatarum nondum oblitus erat, se filias daturum pollicitus est; sed clam virginibus praecepit ut in thalamos secum adferrent gladios, ut noctu iuvenes consopitos singulae singulos aggressae occiderent.

“Nuptiis factis, cum novi mariti somno sepulti essent, tum mulieres e lectis surgentes suum quaeque trucidaverunt. Et fama est propter hoc scelus eas apud inferos ad aquam semper ferendam damnatas esse. Nam iussae sunt dolium complere, cuius per fundum rimosum statim effluit aqua, quam illae urnis infundere numquam desinunt.”

“Fabulam quam tristem!” inquit Cornelia: “etsi illae scelestae certe poena maxima dignae erant, quae imperio patris tam impio paruissent.”

“Una tamen erat,” inquit Drusilla, “quam mariti adolescentis tantopere miseruit, ut foribus patefactis eum dimitteret, ut patrem et patriam repeteret incolumis.”

“Eam summis laudibus extulit poeta Horatius,” inquit Publius. “Nam ab eo ‘splendide mendax’ vocatur, et ‘in omne virgo nobilis aevum’. Nec quidquam eis verbis generosius est, quibus illa maritum dimittit:

‘Me pater saevis oneret catenis,  
Quod viro clemens misero peperci;  
Me vel extremos Numidarum in agros  
Classe releget.

I pedes quo te rapiunt et aurae,  
 Dum favet nox et Venus; i secundo  
 Omine, et nostri memorem sepulchro  
 Scalpe querellam'."

"Quid vero puella factum est, mater?" inquit Cornelia.

"Primo in vincula coniecta est," inquit Drusilla. "Sed postea ira patris resedit, et maritus revocatus sponsam ad se recepit."

Iam autem tempus abeundi erat. Quare omnes, cum surrexissent, ad redas redierunt, brevique rursus Comum versus progrediebantur.

"Quam vellem," inquit Cornelia, "pater quoque nunc adesset! Ego quidem non intellego quo modo hos menses eo carere possimus."

"Bono es animo," inquit mater, "et scito patrem, quam primum potuerit, ad nos rediturum esse."

Tum Publius, ut ad res alias mentes liberorum averteret: "Vobisne notum est," inquit, "urbem, ad quam properamus, patriam esse illius Plini, qui litteras de monte Vesuvio scripserit?"

"Id numquam audivi," inquit Sextus. "De eius factis amplius, sis."

"Plinius erat vir urbanus," inquit Publius, "humanitatisque ac litteris deditus. Olim amico suo Tacito scripsit se nuper isse venatum aprosque tres cepisse. Quoque mirabilior res esse videatur, commemorat se nec venabulum nec lanceam portasse, sed manu tenuisse stilum et pugillares. Dum autem ad retia sedet, ecce tres apri in plagas incurrunt!"

"Hahahae!" inquit Cornelia. "Venationem sane facilem!"

"Ipse, ut suspicor," inquit Publius, "litteris magis quam venationi studebat. Dicit saltem se pro lancea stilum attulisse, ut, si manus vacuas, plenos tamen pugillares domum reportaret. Addit quoque animum miris modis motu corporis excitari, ac silvas et solitudinem venationi datam magna cogitationis incitamenta esse. Quare adfirmat non Dianam magis in montibus quam Minervam errare."

“Hoc haud intellego,” inquit Cornelia. “Censebatne hodie deas ipsas in montibus vagari?”

“Nullo modo,” inquit mater. “Diana venationi studet, Minerva autem artium litterarumque est cultrix. Plinius igitur vult dicere non modo venatores sed etiam scriptores in montibus loca ad operam suam edendam apta invenire posse.”

“Ego quidem metuo,” inquit Publius, “ne ille interdum ostentationis causa nonnulla fecerit. Nam fortasse meministis eum, cum adulescens Miseni cum matre relictus esset, librum Titi Livi in area legisse, cum ceteri, ignibus e Vesuvio relucentibus perterriti, ex oppido undique fugerent.

“Quaedam autem perutilia certe ab illo excogitata sunt. Velut eo auctore Comenses ludum litterarium aperuerunt. Nam olim Comi, cum ad eum salutatum venisset cuiusdam vicini filius praetextatus, puerum rogavit ubi studeret. Ille autem respondit: ‘Mediolani’.

“‘Cur non hic?’ inquit Plinius.

“Tum pater pueri, qui forte aderat: ‘Quod nullos hic praeceptores habemus’.

“Opportune accidit ut complures patres audirent, et Plinius: ‘Quare nullos?’ inquit. ‘Quanto melius sit liberos vestros hic potissimum discere! Quid si ad praeceptores conducendos pecuniam conferatis omnem, quam nunc in habitationes, in viatica, in ea quae peregre emuntur, impenditis?’

“Ne longum sit, Plinius pollicitus est se ipsum daturum tertiam partem eius, quod ceteris placeret. Totum enim ipse dare noluit, quod existimabat parentes, si partem muneris sustinerent, maiore cura praeceptores electuros esse.”

Viatores, cum haec et talia inter se loquerentur, celeriter progrediebantur; ac sub vesperum Comum tandem perventum est, ubi Corneli frater gratissimo hospitio eos accepit.



## CAPUT L

Dum Placentia Publius cum ceteris Comum versus iter facit, Cornelius et Onesimus ad saltum Peninum contendebant.

Primo die, ut Drusilla vere coniecerat, Ticinum sub vesperum pervenerunt, ac postridie Vercellas usque progressi sunt, cuius oppidi fama semper vigeat propter proelium haud procul inde commissum, quo Cimbri a Mario et Catulo devicti sunt, et Italia demum vastationis metu liberata est.

Ibi eis occurrit M. Celsus, eques Romanus, e Gallia domum rediens; quem Cornelius summo gaudio aspexit. Nam olim fuerat familiaris gratissimus, ac iam erat idoneus, cui ad Drusillam litterae darentur.

Libenter ambo ad eundem cauponem deverterunt. Ubi cum multa de temporibus pristinis inter se locuti essent, Cornelius paulisper secessit, ut litteras ad Drusillam conficeret; tum, cena adposita, ad amicum se rettulit.

Interim ad cauponem eundem deverterat viator alius, homo rustico cultu, qui sua sponte omnes certiores faciebat se modo rure profectum ad oppidum Placentiam tendere, neque antea domo tam longe umquam iter fecisse.

Quo audito, familiari suo Cornelius: "Credo herele," inquit, "non sine comite te cras iter facturum."

"Vereor ne vera praedices," inquit Celsus; "et vellem fortuna mihi comitem aliquanto humaniorem dedisset. Sed hominem adeamus, si forte nobiscum colloqui velit."

Quae cum dixisset, ad rusticum accessit, et: "Audio," inquit, "te cras Placentiam versus iter facturum esse. Ego quoque eodem tendo, ac fortasse una iter facere poterimus."

"Benigne facis," inquit rusticus, "cum ita loqueris; ac tibi gratiam maximam habeo. Nam illa loca longinqua mihi omnino ignota sunt, neque adhuc tam longe domo umquam profectus sum."

“Noli timere,” inquit Celsus. “Omnia tibi feliciter evenient. Ac nunc, cum lumina accensa sint, fortasse nobiscum sedebis, ut sermone vario noctem producamus.”

“Fiat,” inquit ille. “Nam ruri sermonibus maxime delectamur, ubi opus diurnum confectum est.”

“Nulla est causa,” inquit Cornelius, “cur te vitae rusticorum pudeat. Nam, ut aiunt, ‘Saepe est etiam sub palliolo sordido sapientia.’”

“Nihil hoc verius est,” inquit Celsus. “Quam ob rem, nisi molestum est, aliquam questionem ad philosophiam pertinentem nunc tractemus.”

“Quantum ad me attinet,” inquit rusticus, “nihil acceptius esse potest.”

“Saepe sermonibus interfui,” inquit Cornelius, “cum de somniis disputabatur, utrum eis fides habenda esset necne. De hoc, si vultis, disceptemus.”

“Me lubente fiet,” inquit Celsus; “nam etsi multos de hoc disputantes audivi, adhuc res mihi in ambiguo esse videtur. Sed tu incipe, Corneli, si vis.”

At ille: “Notissimum est Simonidis somnium. Memoriae enim traditum est eum olim ignotum quendam proiectum mortuum vidisse; cumque corpus humavisset, atque navem conscendere ipse in animo haberet, ab eo, quem sepultura adfecerat, in somnis moneri visum esse, ne id faceret; nam si illo tempore navigasset, naufragio eum esse periturum.

“Hoc somnio deterritus, Simonides diem profectionis distulit; ceteri autem, qui tum navigaverant in mari perierunt.”

“Papae!” inquit rusticus. “Cum talia audio, timor maximus mihi incitur. Hoc saltem iter spero auspiciis melioribus susceptum esse. Recordari videor me nuper quaedam somniasse, sed nihil certi reminisci possum.”

“Vide, si hoc magis placet,” inquit Celsus: “Olim duo adulescentes, cum in itinere Megarae constitissent, alter ad cauponem devertit, ad hospitem alter.

“Concubia nocte illi, qui ad hospitem deverterat, in somnis alter adesse videbatur, cum amicum enixe oraret, ut opem ferret, quod a caupone sibi interitus pararetur.

“Homo sane perterritus surrexit; deinde autem, cum se collegisset, somnium pro nihilo habendum ratus, iterum recubuit.

“Tum ei dormienti alter rursus videbatur orare, ut (cum sibi vivo non subvenisset) mortem saltem suam ulcisceretur; nam se a caupone interfectum in plaustrum coniectum esse; quare petere ut mane ad portam adesset, priusquam ex oppido plaustrum exiret.

“His rebus vehementer commotus, amicus mane praesto ad portam fuit. Ubi cum a bubulco quaesivisset quid esset in plastro, ille perterritus fugit. Intus adulescens mortuus inventus est; caupo, causa cognita, poenas dedit.”

“Perii!” inquit rusticus, cum timidus se circumspiceret. “Si talia diutius audiam, profecto totam noctem vigilabo, etsi vix credo nos ad cauponem tam scelestum devertisse.” Quo dicto, poposcit lumen et celeriter secessit.

“Amicum nostrum tu plane terruisse videris,” inquit Cornelius ridens. “Cum autem ille iam abierit, inter nos multo commodius colloqui possumus.”

Quare, somniorum quaestione dimissa, ad multam noctem intimo sermone horas trahebant. Tum, de via fessi, libenter cubitum discesserunt, ac ambos somnus altus brevi amplexus est. Rusticus vero infelix, curis anxiis distentus, hanc noctem magna ex parte vigiliis consumpsit.

Cui mane, postquam gustaverunt, Celsus: “Etiam nunc tu plane fessus videris,” inquit. “Spero te hac nocte proxima arte dormiisse.”

At ille: “Tota nocte,” inquit, “vix oculos condidi.”

“Quare, obsecro?” inquit Cornelius. “Num somniis inquietatus es?”

“Vix id dicere audeo,” inquit ille; “nam, nisi dormias, somniare non potes.”

“Nisi forte somnies vigilans,” inquit Cornelius ridens. “Quosdam enim cognovi, qui ita afficerentur.”

“Ego quidem,” inquit rusticus a mensa discedens, “sagacior sum quam ut quisquam me incautum opprimat.” (Sed eodem ipso tempore, quo ita gloriabatur, institor, qui clam accesserat a tergo, zonam eius per iocum abscidebat.)

Tum Celsus, qui hoc animadverterat, ludibundus: “Tibi scilicet notum est,” inquit, “iter, quod ingressuri sumus, latronibus infestissimum esse.”

“Itane vero?” inquit rusticus. “Id plane nesciebam. Nummos meos profecto hodie maxima cura custodiri oportebit;” quo dicto, manum ad latus admovit. Cum autem zonam amissam sensisset, maximo clamore capillum evellens: “Perii miser! Vae mihi, occidi!” inquit. “Omnes divitiae meae hoc die infausto perierunt!”

Sed iam institor ridens porrexit zonam; quam ille cupidissime arripuit, et: “Satis itinerum ego iam confeci,” inquit. “Posthac e fundo meo numquam abire mihi certum est.”

Quae cum dixisset, rationem expensi poposeit, pecuniaque soluta statim domum proficisci contendit, neque ullo modo ei persuaderi potuit ut iter inceptum una cum Celso pergeret. Qui igitur, litteris ad Drusillam a Cornelio acceptis, ‘vale’ dixit, et Placentiam versus solus profectus est.

Cornelius autem et Onesimus, qui redam aliam conscenderant, Eporediam versus mox progrediebantur. Propter imbrem maximum quadam in villa aliquamdiu morari coacti sunt; sed undecima fere hora oppidum demum in conspectu erat. Sic AD ALPES perventum est.

## BRIEF INDEX

References are to pages

- Achan, 169  
 Actor who fell asleep, 47  
 Aegeus, 6  
 Aegyptus, 183  
 Aeneas; cf. 115, 158  
     in lower world, 150  
 Aeschylus, 31  
 Aetna, 80  
 Albanus Mons, 101  
 Alexandria; water supply, 139  
 Allobroges, 117  
 Amphitheatre falls, 46  
 Androcles, 35  
 Androgeos, 6  
 Antiochus, 8, 82, 87  
 Archimedes, 45  
 Ariadne, 7  
 Auction, 30, 51; cf. 162  
 Auspices, 13, 125, 146, 187; see also  
     Omens
- Baldness, 31  
 Britannia; cf. 35, 50, 162, 178 ff.  
     circumnavigated, 99 ff.  
     short nights, 34  
 Brundisium; cf. 96  
     besieged by Caesar, 39  
     lighthouse at, 20, 50
- Caesar:  
     among pirates, 2  
     at Alexandria, 139  
     at Brundisium, 20, 38  
     at Pharsalus, 147  
     at the Rubicon, 38, 145  
     baldness and crown, 32  
     clemency, 38 ff., 146, 147  
     Commentaries, 38  
     death, 82  
     fall in Africa, 154  
     in Britain, 34, 179  
     in Gaul and Germany, 146  
     Isthmus of Corinth, 10  
     recruits for army, 162  
     use of elephants, 68  
     young men on staff, 162
- Caligula; cf. 49  
     afraid of Aetna, 80  
     attends auction, 51  
     baldness, 32  
     feeds gladiators, 90  
     horse Incitatus, 50  
     Isthmus of Corinth, 10  
     name, 49  
     racing, 52  
     wealth, 50  
 Camillus, 67, 119  
 Canal, 96  
 Cannae, 64, 81  
 Capitol; not taken by the Gauls, 114  
 Capua; cf. 81, 89  
     opens gates to Hannibal, 77  
     punishment of citizens, 77 ff.  
     shelters Romans after Caudine  
         Forks, 73  
     Spartacus, 79  
 Carmelus Mons, 107  
 Carthage; boundary dispute, 98  
 Caudine Forks, 72  
 Centurion, hero of many fights, 159  
 Charon, 150  
 Christ, 94  
 Christians, 93, 95, 115  
 Cicero; cf. 107  
     Catiline's Conspiracy, 117  
     in war time, 146  
     on gladiatorial contests, 89  
     poem on consulship, 117  
     Trebatius, 163  
 Claudius; cf. 152, 164  
     campaign in Britain, 179  
     sham naval battle, 91  
 Corfinium, 38  
 Cremona, 165 ff., 172  
 Curtius Lacus, 139
- Daedalus, 90  
 Damocles, 62, 65  
 Damon and Phintias, 110  
 Danaus, 183  
 Daniel, 22

- David:  
 Absalom, 157  
 Goliath, 16  
 water from Bethlehem, 16
- Dead Sea, 106
- Decius Mus, 137
- Diana, 8, 184  
 Nemorensis, 101
- Dido, 151
- Dionysius; cf. 45  
 a poet, 63  
 Damon and Phintias, 110  
 flatterers of, 62, 63  
 prison in quarries, 64  
 safety prayed for, 67  
 sword of Damocles, 62
- Domitian:  
 archery, 53  
 cruelty, 53  
 treatise on baldness, 32
- Dreams, 187
- Drusus, 164
- Earthquakes, 48, 76, 79
- Elephants:  
 afraid of mice, 71  
 as part of army, 68  
 at Thapsus, 70  
 at the Metaurus, 141  
 called Luca bos, 68  
 duel with a man, 70  
 fight with serpents, 71  
 ropewalking, 90  
 used by Pyrrhus, 68, 70  
 used by Romans, 68
- Elisha, 32
- Eurydice, 149
- Fabii, 118 ff.
- Fabius Maximus, 81
- Fables:  
 Birds and farmer, 42  
 Death and the woodcutter, 87  
 Mice, 61  
 Sun and Wind, 147
- Floating Islands, 107
- Flogging soldiers, 160
- Flood, 111
- Galba:  
 as a judge, 180  
 death, 105  
 games, 90
- Gemoniae, 103
- Ghosts, 59
- Gladiators, 89, 91
- Gyges, 123
- Hadrian's Wall, 179
- Hamilcar, 142
- Hannibal; cf. 66, 78, 142  
 against Eumenes, 4  
 at Capua, 77  
 at the Ticinus, 172  
 at time of Metaurus, 141  
 at Trasimenus, 130 ff., 142  
 Cannae, 64  
 crosses Rhone, 71  
 eludes Fabius Maximus, 81  
 fights in Pamphylian Sea, 4  
 humanity of, 142  
 in Crete, 8, 82  
 in Pontus, 82  
 prisoners fight, 70, 89  
 with Antiochus, 82, 87
- Hasdrubal; cf. 143  
 at the Metaurus, 141  
 head cut off, 142
- Hebrews:  
 in Egypt, 143  
 in exile, 14
- Horace; and the birds, 54
- Horse racing, 50, 52
- Icarus, 90
- Insulae Fortunatae, 120
- Isthmus of Corinth, 10
- Jerico, 167 ff.
- Jerusalem, 105, 106
- Jonah, 26
- Jordan, 106, 167
- Joshua, 167, 170
- Juno, 119
- Lighthouses, 20, 50
- Livia Augusta, 125
- Magna Dea, 97
- Maharbal, 65, 132
- Mausoleum, 102
- Metaurus, 141
- Midas, 91, 97
- Milestones, 82
- Military service avoided, 162
- Milo, 121
- Minerva, 184 ff.
- Minos, 6
- Minotaur, 6
- Miracles, 98
- Moses, 29, 143

- Naumachia, 91  
 Nemora Fortunatorum, 151  
 Nero; cf. 63  
   burning Rome, 115  
   Christians persecuted, 95  
   death of mother, 115  
   Dido's treasure, 151  
   encourages fights in theatre, 46  
   horse racing, 52  
   Isthmus of Corinth, 10  
   name, 152  
   night excursions, 52  
   omens attending death, 102, 126  
   sham naval battle, 91  
   visits Greece as artist, 48 ff.  
 Nile, 139  
 Nineveh, 26  
 Noah, 111  
 Omens, 12, 55, 125 ff., 130, 153 ff.;  
   see also Auspices  
 Orpheus, 149  
 Otho; cf. 105  
   burial, 102  
   near Cremona, 165  
   tossing in blanket, 53  
 Pan, 92  
 Paul, 93  
 Pharsalus, 147  
 Pliny Maior, 71, 74 ff., 94  
 Pliny Minor; cf. 59, 74 ff., 79, 107  
   Christians, 94  
   hunting, 184  
   school founded, 185  
 Polydamas, 122  
 Pompey; cf. 146  
   against pirates, 2  
   to Brundisium, 38  
   withdraws to Greece, 20  
 Portents; see Auspices and Omens  
 Proserpina, 43, 149  
 Pyramus, 175  
 Pyrrha, 112  
 Pyrrhus; cf. 70  
   at Beneventum, 66  
   brings elephants into Italy, 68  
   Tarentines revile him, 67  
 Quarries at Syracuse, 63 ff.  
 Rahab, 167  
 Red Sea, 29  
 Regillus Lacus, 152  
 Regulus, 72, 95 ff.  
 Rome:  
   burned, 95, 114 ff.  
   rebuilt, 114 ff.  
 Romulus, 114, 144  
 Rubicon, 145  
 Sabine farm, 109  
 Sacred chickens, 12  
 Sacrifice of the Fabian gens, 119  
 Samnites:  
   at Caudine Forks, 72 ff.  
   at Sentinum, 137  
 Samson, 15, 121  
 Scipio, 172  
 Sejanus, 123  
 Sentinum, 137  
 Serpents, 71 ff.  
 Sewers, 115  
 Sibyl, 150, 158  
 Solomon, 181  
 Spartacus, 79  
 Syracuse; taken by Romans, 45  
 Thapsus, 70  
 Thermopylae, 99  
 Theseus, 7  
 Thisbe, 175  
 Tiberius, 123  
 Ticinum, 178  
 Ticinus, 172, 178  
 Tombs along Appian Way, 101 ff.  
 Torquati, 33  
 Tossing in blanket, 53  
 Trajan, 94 ff.  
 Trasimenus, 130 ff., 142  
 Trebatius, 163  
 Trebia, 172  
 Vespasian; cf. 103, 105, 107, 165  
   Cremona rebuilt, 172  
   miracles, 98  
   to Greece, 49  
 Vesuvius, 74, 79, 94, 184  
 Vitellius; cf. 105  
   appetite, 103, 153  
   at tomb of Otho, 102, 165  
   death, 103  
   omen of fire, 154  
 Zama, 8, 82

## POEMS QUOTED

	<i>Page</i>		<i>Page</i>
Catullus, Car. 61. 216 ff.....	14	Ovid, Met. xi. 623 ff.....	100
Original.....	14	Horace, Car. i. 9, 1 ff.....	109
Ovid, Met. xi. 537 ff.....	18	Ovid, Met. i. 304 ff.....	112
Plautus, Men. 226 ff.....	21	Anonymous; apud Suetonium, Nero, 39.....	115
Catullus, Car. 31. 7 ff.....	21	Cicero; apud Quintilianum, ix. 4. 41.....	117
Original.....	27	Horace, Epod. 16. 47 ff.....	120
Vergil, Ecl. iv. 21 ff.....	36	Horace, Car. iii. 3. 7 ff.....	132
Horace, Epod. 15. 1.....	44	Horace, Car. iv. 4. 69 ff.....	143
Horace, Epod. 2. 1 ff.....	54	Vergil, Aen. vi. 126 ff.....	150
Horace, Car. iii. 1. 17 ff.....	65	Horace, Epod. 2. 39 ff.....	161
Horace, Car. iii. 5. 18 ff.....	72	Lucretius, iii. 894 ff.....	161
Ennius; apud Ciceronem, Cato Maior, 4. 10.....	81	Vergil, Aen. ii. 624 ff.....	166
Horace, Car. iii. 2. 17 ff.....	96	Vergil, Aen. iii. 56 ff.....	170
Cicero, Tusc. Disp. i. 42. 101....	99	Horace, Car. iii. 11. 45 ff.....	183





**SYLLABUS SERIES—(Continued)**

119. **Three Essays on the Antiquity and Races of Man.** Ed. 2. May, 1922. Price, 75 cents.
120. **Economics 11. Industrial History of the United States.** August, 1920. Price, 15 cents.
121. **Outline of a Course in Algebra for Prospective Teachers.** August, 1920. Price, 50 cents.
122. **Slavic 32. Kochanowski Laments.** October, 1920. Price, 30 cents.
123. **Economics 180. The Control of Poverty.** November, 1920. Price, 50 cents.
125. **Hydraulic Tables.** Department of Mechanical and Electrical Engineering. December, 1920. Price, 75 cents.
126. **Bacteriology 101. Laboratory Manual in Medical Bacteriology.** April, 1921. Price, \$1.10.
127. **Civil Engineering 1. Manual of Instructions.** 1923. Price, 25 cents.
130. **Zoology 1A. Laboratory Instructions. General Zoology.** 1921. Price, 50 cents.
131. **Economics 1A-1B. Principles of Economics.** Price, 15 cents.
132. **Economics 135. Money and Banking.** 1921. Price, 15 cents.
134. **The Use of the Library.** November, 1921. Price, 15 cents.
135. **The B N A arranged as an outline of regional anatomy.** 1921. Cloth, \$3.75.
136. **Anthropology 1B. Syllabus and Instructions.** 1921-1922. January, 1922. Price, 25 cents.
137. **Drafting Room Practice. A Brief Guide for Students of Machine Drawing at the University of California.** 1922. Price, 25 cents.
139. **Junior Latin Plays.** 1922. Price, 25 cents.
140. **English 1. Modern Book Reviews.** 1922. Price, 15 cents.
141. **Engineering Mechanics. Part III, Kinematics.** 1922. Price, 60 cents.
142. **Zoology 1A. General Zoology. Laboratory Instructions.** August, 1922. Price, 75 cents.
143. **Military 1B. Musketry.** September, 1922. Price, 50 cents.
144. **Modern European History.** August, 1922. Price, 25 cents.
145. **Anthropology 1A. Syllabus and Instructions.** August, 1922. Price, 20 cents.
146. **Economics 14A. Principles of Accounting.** August, 1922. Price, 50 cents.
147. **Infantry Weapons.** October, 1922. Price, 30 cents.
148. **Anthropology 1B. Syllabus and Instructions.** January, 1923. Price, 25 cents.
149. **Geography 1c. Geography of Land Forms. Laboratory Exercises.** January, 1923. Price, 25 cents.
150. **Ad Alpes.** By Herbert C. Nutting. April, 1923. Price, 80 cents.

1787 31

YC 50350

615241

UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY

